O beata Solitudo! o sola Beatitudo!



GLORIOSO S. IOSEPHO MAXIME AMABILI ET MAXIME

Post IESVM & MARIAM

præ reliquis Sanctis dilecto,

DIGNISSIMO SPONSO

Matris DEI

ET

VERBI INCARNATI

Sapientissimo moderatori.

MAGNE sancte, amator animarum sanctitatem amantium, & quę in amabili solitudine ad insignem profectum vitę latentis, cuius tu fuisti Idea incomparabilis, anhelant. Oblatum venio Aris tuis omnes meas

cogitationes, quas in hoc opere Hagiophilæ impendi, & nolo, vt prius illa in ſolitudinem ingrediatur, fructúmque ſancti huius ſeceſſus iuxta directionem illi à me propoſitam, deguſtet, quàm intelligat, quid tibi debeam, & quo iure tuus ſim, cùm credam hanc operam meam fore inutilem, niſi prodeat ſub tui nominis auſpicijs. Id verò à bonitate tua expecto, vti has omnes paginas, eóſque, qui illis vtentur, tuis proſequi fauoribus ne dedigneris, & vt me ab aris tuis non repellas, ſi non ſatis expleo debitum perſonæ tibi penitus deuinctæ, quęque cùm in vno domiciliorum tuorum ſit, maximo iure obſtringitur, vt honori tuo laboret, præſertim poſt acceptũ il-

lud

lud recens beneficium, quo me ope tuâ benignissimâ à contagione, quæ Lugduni grassata domum hanc nomini tuo dicatam periculosissimè cingebat, liberum incolumémque conseruasti. Verùm quidem est: nisi amor ipse aut pennam, aut verba sua subministret, exprimi non posse teneritudines affectuum, obligationum, desideriorúmq; magnitudinem, quibus ij, qui IESVM amant & Mariam, in obsequia tua, & glorię tuę amplificationem rapiuntur; abstinere tamen idcircò non debeo, quòd videam nihil adorandis tuis meritis à me dignum adferri posse. Beneficia, quæ à te accepi, quæque in dies à paterna tua benignitate mihi conferũtur, minus

non exigunt, quàm huius ſaltem debiti teſtificationem; neque erat cauſſa, cur hic deeſſem, quandoquidem pluris facio, proſequi te reuerentiâ, amore, & oblatione meiipſius, quàm Vniuerſo imperare, & omnibus hominum omnium delitijs voluptatibùſque affluere.

Pro-

Propositum Authoris.

HAGIOPHILA, *didici aliquando à veteri, sed ingenioso scriptore, ad sapientiam nihil aliud requiri, quàm vt benè quis sciat vnam personam agere; eo quod multitudo negotiorum quæ amplectimur, & curarum varietas, quibus nos intricamus, dissipat diuidítque miserum cor, palámque facit inconstantiæ reum, dum iam illi, iam alteri obiecto nos non totos applicat; cùm si vnius tantùm rei occupatio in manibus sit, eâdem rectè defungamur, & aliunde liberi cogitationes omnes conferamus in istud negotium, cui vni intendimus. Hæc lectio maximè est proposito meo oportuna & ad rem eorum, quæ in vsu huius libri à te exigo. Si igitur tibi decretum est propositis hisce Exercitationibus vacare, vnam tantùm personam agito, neq; alteri, quàm negotio salutis tuæ & perfectionis incumbe. Huic per octo vel decem dies impende omnes cogitationes, & reputa te in semotissima Eremo degere, vbi cum solo Deo & animâ tuâ loqui liceat. Omni quidem tempore hanc agere*

personam deberemus: verùm quia vita nostræ ratio id non permittit, semel in anno saltem, optimo, quo potest, modo faciamus. In hisce Exercitationibus anima sanctitatem addiscit, & veluti in munitione securissima soli Deo placere contendit. Hic profectui suo vtilissimam locat operam, & certiore, quàm aliàs victoria procliues in malum affectus domat. In hac solitudine eximitur à vana inutilique hominum familiaritate, & eorum vitiorum occursu, quæ conuersatione veluti contagione quâdam inficiunt: in hoc secessu maxima conscientiæ puritate, & animi pace viuitur, ita vt nihil illius quietem possit perturbare, aut officere pulchris istis luminibus & solidis veritatibus, quas Deus extra tumultum & impedimenta creaturæ suggerit & docet. Quod si huic inuitationi meæ obedis, & tali secessu afficeris; en me ad obsequia tua promptum, paratúmque tibi huius libelli officio deseruire: neque alium apparatum, quàm ductoris munus præstabo, qui porrecta veluti manu aliquot dierum spatio te per actiones deducat, quæ iuxta Me-

thodum

thodum à me in monitis generalibus notatam erunt instituenda. Vt verò tibi etiam perspectum sit propositum meum, ducam te hac solitudine per tres vias consuetas, Purgatiuam, Illuminatiuam, & Vnitiuam; iisque Meditationes, Considerationes & spirituales Dissertationes accommodaturus sum, vt si desit aliorum libellorum spiritualium copia, huius vnius lectione possis aliorum defectum supplere: & quia hæc Exercitia ad generalem vitæ nostræ renouationem instituuntur, non solùm dicam, quid fieri necesse sit ad vitia vitæ præteritæ per annuam Confeßionem emendanda, verùm etiam quid fieri deinceps oporteat ad augendos Dei fauores, eiusque gratias copiosiùs consequendas, deductis Examinibus virtutum particularium, & allatis Deuotionibus præcipuis, vt cùm, quæ desint, viderimus, redintegremus tandem seriò animæ nostræ paruam œconomiam, eáque ratione omnia suauiter disponamus, ne mors imparatis obrepat; qui fructus præcipuè his Exercitationibus intenditur.

Ita habes proximè, Hagiophila, ſcopum meum: nam quod ad titulum attinet, huic operi præfixum, & ad promptitudinem meam, quâ illud typis euulgo, poſt tot præclaros ſcriptores, qui me præceſſere, non exiſtimo lumen aliquod à te deſiderari: patet idcircò vocari Solitudinem, quia qui illa vti volet, Solitarij perſonā per aliquot dies agat neceſſe eſt, omni vſu familiaritatéque aliorum, præterquam Dei, excluſo: addere poſſem, quod eſſe in ſolitudine, & occupare ſe ſpiritualibus Exercitijs, idem omninò ſit, ſi ad amorem loquendi aſcetarum attendimus. Quod verò nuncupem Solitudinem Hagiophilæ, ideò eſt, vt oſtendam hæc potiſſimum pertinere ad animas ſanctitatis amantes, & ad eos, qui impensè ſtatuunt in perfectionem incumbere, ſiue ij inter Religioſos viuant, ſiue inter ſæculares: cùm ſanctitas vbiq; obuia ſit, & tàm hi, quàm illi poſſint eius fieri participes. Id ſupereſt, vt dicam, me non detrectauiſſe ſequi ſcriptores alios, qui dignius hanc materiam tractarunt; quia cùm guſtus admodum differentes ſint inter tot, qui annis ſingulis ſeponunt

nunt

nunt alia negotia, vt animæ suæ vacent, tanto electio erit liberior; aut cùm nihil gratius sit varietate, poterunt nunc esse in vsu Exercitia præclarorum illorum virorum, nunc aliorum, aliquando horum, aliquando istorum, quæ commodissima videbuntur. Idem accidit animæ gustui, quod linguæ; Perdix bubulâ melior est: nihilominùs eo sunt nonnulli appetitu, vt hanc illi præponant, aut nunc huius, nunc illius gustu delectentur. Hagiophila, tibi eligendi libertas est; mihi sufficit hæc tibi obtulisse: quidquid feceris, probabo: modò tandem eâ ratione animam tuam disponas, vt morte accedente omnia sint parata: seriùs enim illa dignoscitur, quando præ foribus est.

MONITA GENERALIA.

Legenda pridiè, quàm Exercitijs te applices.

HAGIOPHILA, tanti momenti est actio, quam suscipis, cùm tota tendat in DEI gloriam, & animæ tuæ commodum, vt importunus videri possim, si eam velim tibi commendare: satis ipsa se commendat absque verborum lenocinijs & rationum adiecto apparatu. Necesse tamen est, vt de quibusdam moneam, quæ tibi reddant iter per hanc solitudinem & commodius, & vtilius ad fructum illum, quem tibi proposuisti consequendum: omnia facilia sunt, ideóque magis amplectenda.

I.

Pridie Exercitiorum sic negotia tua dispones, vt te sancto illo tempore non distrahant, aut ea prius absoluendo, quàm secedas; aut donec secesseris, differendo. Illo tempore tanquam in deserto viuere volumus, vt maiori libertate tantùm cogitemus de illo DEO amo-

ris, qui totâ æternitate de nobis cogitauit: ideò fieri nihil minus poteſt, quàm vt omnes curæ ſeponantur, quæ mentem poſſent ab illo auertere. Eandem ob cauſam nullius admittendum eſt alloquium, quàm Directoris, caſu quo neceſſitas id exigat; quin & hoc parcè agẽdum & horis conſtitutis. Iſta verò officia viſitationum, ſalutationum, aue & valedictionum, commendationum in preces & ſacrificia, illa obiter & perpaucis dicta, illæ nouorum relationes, illi occurſus affectati, & ſimilia, quæ nonnunquam Iunioribus (qui exiguo ſunt in DEVM affectu, & nimio in perſonas ſibi ſimiles abripiũtur) excidunt, omninò reſcindantur, veluti penitus contraria iſti animi decreto, quo ſtatuere debemus, nulli nos placere velle, quàm ſponſo animarum noſtrarum, maximè eo tempore, quod illi integrum dedicamus, vt illum nobis, & nos ipſos illi perfectè conciliemus; ſi contingat nos egere aliqua poſt ſumptum cibum recreatione, fiat; ſed cum ijs perſonis, quæ nos

poſſint

possint occupare religioso sermone, nos solari, & stimulos ad virtutem adijcere, omnia ex eorum consilio, qui nos moderantur: quin primis duobus aut tribus diebus melius abstinebitur, vt nihil in mentem veniat, nisi detestatio vitæ anteactæ, & temporis inutiliter impensi ex naturæ nostræ deprauatione.

II.

Procurandi sunt libri nostris vsibus idonei, quales sunt vitæ Sanctorum, præsertim eorum, qui excellentius DEVM dilexerunt; Opera Rodericij de perfectione; Thomas de Kempis de Imitatione Christi; P. Pinellus de perfectione Religiosâ, alijq́ue similes, quorum lectione potissimum capimur, & qui statui vocationíque nostræ maximè congruunt, ita tamen vt ij solùm legantur, qui feriunt cor & pios sensus animis nostris imprimunt, non verò illi noui moris, qui potiùs auribus delicias faciunt, quàm cor perstringant: si tamen forent admodum spirituales, in vsu esse possent. Quod si contingat deesse libros tam vtiles, in eorum

rum locum venire poterunt Dissertationes illæ, quas hîc inserui, vt explerem defectum aliorum, qui omnibus ad manum non sunt, & maximo tamen emolumento legerentur. Singulis diebus binas attribuo, quarum vna à prandio, altera à cæna relaxationis loco legi possit, modò suscipiatur integra exactáque solitudo, neque isto tempore lubeat cum aliquo colloqui: si tum non leguntur, nulla erit iactura, cùm aliàs resarciri possit; tam prolixæ non sunt, vt absolui nequeant eo tempore, quod spirituali lectioni destinatum est.

III.

Exercitiorum tempore requiritur inusitata Pietas, & deuotio: Primò visitando Venerabile Sacramentum, minimùm quotidie quinies, vt illud adores, vt cor tuum cum otio illi pandas, vt feruentibus tuis precibus illud sollicites: si hæc visitandi commoditas desit, suppleri potest corpore in aliquam Ecclesiam, in qua asseruatur, conuerso. Secundò, frequenti inuocatione eius Sancti,

cti, quem pridie tuorum Exercitiorum Protectorem, & Patronum elegisti. Tempus matutinum, quo Venerabile adibimus, ejus inuocationi erit oportunissimum. Electio sit pro affectu & propensione, quâ in alios atque alios Sanctos feremur. Neque dubito, quin S. Ioseph, S. Alexius, & similes excellenti sanctitate Cælites, aliquẽ in hac Electione locum habituri sint; dedita opera S. Iosephum primò nominaui, quòd singulari quodam subsidio adsit ijs, qui hanc solitudinem ingrediuntur; id saltem triginta, & ampliùs annorum spatio, obseruauimus, neminem eorum, qui se, in Domo Societatis IESV Lugduni, quæ ab illo nomen habet, Exercitijs spiritualibus excolendos tradidere, vnquam illo tempore, morbo fuisse afflictum, etsi plerumque mensis integer ijs impendatur; imò fuerunt, qui valetudinem etiam labefactam eâ Exercitatione persanârunt. Noui aliquem continuo capitis dolore vexatum, simul atque eam suscepit, ita conualuisse, vt felicissimè

pere-

peregerit. Si tantam Sanctus iste operam confert corpori, quid non animæ præstabit? Tertiò, per amorosas Detestationes vitæ transactæ & tepiditatis, quæ nos & bonis maximis spoliauit, & in antiqua vitia egit præcipites. Commodissimè tamen id fiet quatuor primis diebus, qui Viæ Purgatiuæ annuæque Confessioni, de qua suo loco dicam, sunt assignati. Quartò, per Communiones, die Confessionis generalis, aut postridie; die ingressûs, aut exitûs Exercitiorum, aut alijs, quos Deus suggeret, & ij, quorum ductum sequimur, approbabunt. Quintò, per quasdam corporis afflictationes, disciplinas, cilicia, cingula, armillas, abstinentias, ieiunia, mortificationes in quantitate, vel qualitate ciborum, iuxta facultatem nobis permissam, & vt feruor animi promptáque voluntas nos stimulabit. Sextò, sancta constantíque perseuerantia, quantum valetudo patietur, per octo, vel decem dies; maximè cùm Paulus V. Religiosis plenam Indulgentiam addixerit, qui decem

totos

totos dies impenderint. Vnde materiam pro totidem diebus diuisi, in gratiam eorum, qui eò contendent: ita tamen, vt quibus octo dies sufficiunt, in octauo consistant; quandoquidem huius diei Meditationes ad concludendum sint æquè idoneæ, ac istæ aliorum duorum subsequentium. Suadeo nihilominùs, vt quisquis finit octauo die, reliqua nono, decimóque die præscripta, attentè posteà perlegat: expendatque.

IV.

Verùm in his pietatis officijs potissimùm requiro, primò, vt diligenter faciamus non solùm Examina conscientiæ generalia, vt vocant, & particularia: vt rectè, quales simus, quidque nobis desit, discernamus; sed etiam illa Examina virtutum, quas in dies singulos propono, veluti speculum, in quo videamus nos parum in virtutibus promouisse, & vnde accendamur ad animas nostras Sanctorum operibus exornandas, cum firmo & generoso animi decreto vsurpandi eas pro Examine particulari, quibus

bus nos maximè indigere deprehenderimus. Secundò, vt quotidie aſſumamus teſſeram aliquam ſpiritualem, hoc eſt, pulchram breuémque ſententiam, axioma luculentum, quod centies in die, in cubiculo, foris, eundo, redeundo, & quâuis aliâ occaſione iteretur. Simile verbulum aptum eſt ad nos in diuino obſequio excitandos, ſubijciendúmque illum animo ignem, quo ſanctiores calent: conabor dare ſemper congruam materiam meditationi, quæ ſi palato tuo non arridet, plura ſunt eiuſmodi, quæ deligere tibi poſſis. Tertiò, vt ſenſu affectúque eodem expendas additas conſiderationes, quo Meditationes: cum experientia mihi probatiſſimum ſit, illas tantundem atque has, & nonnunquam ampliùs efficere. Vt te tamen occupes eâ attentione, quâ Orationes peraguntur, non eſt opus; imò liceſto ſitus corporis, aut ſtes, aut ſedeas, aut etiam deambules per cubiculum, vt placidè commodéque notata puncta perpendens & ruminans, acceden-

dentibus Spiritûs sancti illustrationibus plurimos affectus & optima ad proficiendum, & ad animæ tuæ tranquillitatem & solatium proposita elicias. Quartò, vt quotidie innoues propensam tuã voluntatẽ erga salutares quasdam praxes, in quibus per omnem vitam exercere te decernis; qualis est deuotio erga Augustissimam Trinitatem, B. Virginem, & aliæ, quas tibi in memoriam reuocabo. In eam rem seruire possent: *a Paradisus apertus; sanctus apud* IESVM *fauor; vtile cum cælitibus fœdus*, quæ sunt tria opuscula à me tibi elaborata, quæque deuotiones proponendas reddent expeditiores.

a *Le Paradis ouvert; la saincte faveur aupres de* IESVS; *la riche alliance avec les saincts de Paradis.*

§. V.

De Intentione, quam in hoc secessu habere oportet, quæque alia esse non debet, quàm vt imperfectiones nostras corrigamus, nouúmque robur ad virtutes, maximè Amorem Dei comparandum

dum resumamus; de electione personæ, quæ nos dirigat, iuuet, soletur, cuique omnes difficultates nostras pandamus, vti è re nostra esse videbitur; de communi illa Instructione, ne Meditationes, aliáque hîc proposita ex curiositate percurrantur, sed vt legantur tum studiosè, quando ijs vtendum est; vtque inter meditandum illi maximè puncto inhæreamus, quo nos vehementiùs affici aduerterimus, déque alijs similibus, quorum pleni sunt libelli, qui artem meditandi docent, nihil est, quod dicam. Mihi cum Hagiophila rerum omnium istarum peritâ sermo est. Quantum ad materiam Meditationum, quam accipio, ne illam quidem video hîc collocandam, vti neque Dissertationum, quòd suus omnibus locus deputatus sit, aut in Tabella præmissa in gratiam eorum, qui anticipata nosse desiderant, videri poterunt.

VI.

Quod ad temporis distributionem spectat, difficile est talem præscribere, quæ omnibus arrideat, & singulis vsui

esse

esse possit, quandoquidem sint, qui tres tantùm Meditationes in diem deside-rent, alij quaternas velint; nonnulli se-ptem horas somni requirant, alij octo; nonnulli Communitatis legibus ratio-ne statûs sui adstringantur, alij liberi sint; spero me tamen omnibus facturum satis, & æquus videri possum, cum cu-iusque postulatis assentiar. Qui octo ho-ras quietis exigit, habeat; tantum coar-ctet tempus Lectionum, aut Orationum vocalium, & cuncta in idem recident. Magnum à corpore obsequium exspe-ctamus, cedamus illi hunc somnum, blanditijs illud obstringamus; ob rem tantillam ne reddamus illud languidum ineptúmque, neque efficiamus, vt toto die cogatur oscitare. Quoad Medita-tiones, existimo ternas sufficere, cum Consideratione, quæ si benè peragatur, quartæ Meditationis vicem & fructum præstabit: si quaternas vis, & satis fir-mo capite es, permitto, quartam facias ex duarum præcedentium Repetitione, quod tantopere in suis Exercitijs laudat S. Igna-

S. Ignatius, & numerum tuum habebis. Superest vt dicam, quid agendum tibi sit, si viuis in Communitate, quæ cibum capit aut seriùs, aut citiùs; accommoda te alijs; ante cibi sumptionem expedi, quæ pòst fecisses; aut posteà fac, quæ priùs voluisses expediuisse, ita tibi erit satisfactum; quo etiam modo facies aliquâ die ieiunij, præsertim Lectionem, aut Examen virtutis, cui aliàs posteà vacasses, & sic de cæteris: promoue, aut remoue, produc aut contrahe, vti occasio exiget: vtinam hæc in tuis exercitijs maxima sit molestia! & æquè facile te totam consecres, atque hæc difficultas composita est! præsagit enim animus, multa te tergiuersatione vsuram prius, seriò quàm te dones. Falli nihilominus velim, & iudicio errare.

VII.

Loquamur de ista distributione temporis, & ordinem, qui teneri debet, videamus. Viginti quatuor horas quotidie habemus, quæ disponendæ sunt. Octo iam tum quieti assignauimus: tres

Meditationibus, vna conſiderationi debetur, vna duplici refectioni, duæ vtrique recreationi à prandio & cœnâ; duæ Lectioni ſpirituali, niſi, cui ſeptem horæ ſomni ſufficiunt, tertiam addere placeat, Vna tum pro ſacro, tum pro duobus conſcientiæ Examinibus, vna pro Oratione vocali partim matutinâ, partim pomeridianâ iuxta cuiuſque obligationem, aut peculiarem erga Roſarium aut Officia B. Virginis, S. Ioſephi, Angeli cuſtodis, & aliorum Sanctorum deuotionem; vna pro animi relaxatione, quando à meridie fieri licebit, aut alio negotio, quod maximè videbitur; ſiue ad corporis aliquam exercitationem, laborando, aut in horto deambulando, ſiue ad conferendum cum Directore, ſiue ad vtrumque, aut aliud, quod ex vſu tuo erit. Vna detur tum Examini virtutis, quam hodie proponam, tum decernendæ, aut exercendæ alicui deuotioni, quam notabo Vna pro ſemiquadrantibus, vel quadrantibus horæ, qui requiruntur tum ad recollectionem poſt Medita-

ditationes faciendam, tum ad eius præparationem; tum vt quis ſe veſperi ad quietem diſponat, tum vt manè ſe veſtiat. Atque hæc omnia, ſi numerandi artem rectè calleo, proximè horas viginti quatuor conficiunt, id eſt, diem integrum. Si quid ſubinde temporis vacuum eſt, impendatur viſitando Venerabili, aut legendo Thomæ de Kempis, aut Pinello, libro temerè aperto; aut luminibus, quæ Deus immiſerit, deſcribendis; aut Orationi pro tuis benefactoribus, aut relegendis hiſce monitis, & Authoris propoſito, aut teſſeræ centies centiéſque repetendæ; quæ dico, ne nihil omittam, & vt tradam tibi diem bonis operibus refertum: offerens tibi vltimi moniti loco, vt cùm priuilegium ſit tui ſeceſſus, ſtatim & è veſtigio adeas ad Sanctiſſimum Sacramentum, ibíque roges diuinam bonitatem, vt in opere tanti momenti tibi adeſſe ne dedignetur, illíque pandas animi tui decretum, quo aliter, atque hactenus, illum ſtatuis amare, & complecti.

TABELLA MATERIARUM HOC OPERE CONTENTARUM.

PRIMO DIE EXERCITIORUM.

De Fine, propter quem creati sumus.

SECVNDO DIE.

De Detestatione vitæ anteactæ.

I. Meditatio. *De horrore peccati mortalis.*

II. Meditatio. *De conditione peccatorum venialium, & quanto ea studio declinanda sint.*

III. Meditatio. *De fructibus veræ pœnitentiæ.*

I. Dissertatio. *De Confessione annua & extraordinaria.*

II. Dissertatio. *De Examine ad Confessionem annuam directo.*

Consideratio.

Examen de Amore, & Charitate proximis impendenda.

TERTIO DIE.

De miserijs vitæ tepidæ, & in Dei seruitio languentis.

I. Meditatio. *De miserijs & damnis vitæ tepidæ.*

II. Meditatio. *De damnis, quæ proue-*

niunt ex actionibus tepidè & ex consuetudine factis.

III. Meditatio. *Motiua ad feruorem & perfectionem consequendam.*

I. Dissertatio. *De Confessione ordinaria.*

II. Dissertatio. *De spiritu feruoris erga actiones etiam heroicas.*

Consideratio.

Examen de diligentia spiritali.

QVARTO DIE.

De ijs, quæ homini in extremis accidunt.

I. Meditatio. *De Morte.*

II. Meditatio. *De Iudicio particulari.*

III. Meditatio. *De Purgatorio.*

I. Dissertatio. *Plurimum referre, perspectas esse Mortis qualitates.*

II. Dissertatio. *Prodesse ad benè moriendum, Tempus vtiliter impendere.*

Consideratio.

Examen circa Humilitatem.

QVINTO DIE.

De virtutibus in Infantia, & vitâ latente Seruatoris nostri imitandis.

I. Meditatio. *Quòd Deus nobis dederit Filium suum, vt eius virtutes imitemur.*

II. Meditatio. *De Paupertate Filij Dei Infantis.*

III. Meditatio. *De vita occulta Filij Dei, & eius obedientia per annos octodecim.*

I. Dissertatio. *De particularibus Amicitijs.*

II. Dissertatio. *De felicitate vitæ occultæ.*

Consideratio.

Examen circa Simplicitatem & candorem Animi.

SEXTO DIE.

De virtutibus imitandis in vita Apostolica Christi IESV.

I. Meditatio. *De Humilitate Filij Dei.*

SEPTIMO DIE.

De virtutibus in Passione & Morte Christi imitandis.

OCTAVO DIE.

De Amore, quem Deo debemus.

NONO DIE.

De Conformitate nostræ voluntatis cum Diuinâ.

I. Dissertatio. *De damnis voluntatis propriæ.*
II. Dissertatio. *De felicitate eorum, qui se Deo totos tradunt.*
Consideratio.
Examen de Sobrietate.

DECIMO DIE.

De Amore erga Venerabile Sacramentum.

I Meditatio. *De Amore, quem Deus in Venerabili Sacramento nobis testatur.*
II. Meditatio. *De Amore, quem nos Venerabili Sacramento debemus.*
III. Meditatio. *De tribus admirandis qualitatibus Venerabilis Sacramenti, quæ nobis illud reddunt amabile.*
I. Dissertatio. *De Communione.*
II. Dissertatio. *De desiderio Sanctitatis & profectûs spiritalis.*
Consideratio.
Examen de Modestiâ.

Fecisti nos ad Te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in Te. Aug: I



PRIMVS DIES EXERCITIORVM.

De Fine, propter quem creati sumus.

CVm deceat ante omnia emundari animas noſtras, & tolli, quidquid mali reſidet in nobis, dabis, Hagiophila, hunc & tres proximos dies viæ Purgatiuæ; inde ornabis te virtutibus ex conſideratione triduana Vitæ & Exemplorum, quæ nobis Seruator noſter propoſuit; atque hi dies ad vitam illuminatiuam pertinebunt. Reliquum quod erit temporis, impendes, vt te vnias dilectiſſimo ſponſo animarum noſtrarum, idque per ſemitas viæ vnitiuæ, quibus te deducemus. Hæc agenda tibi ſunt, quamdiu in iſta ſolitudine deliteſces.

Hoc die, quod neque reliquis diebus negligentes, primùm ſaluta Venerabile Sacramentum, ſi domi tuæ illud aſſeruatur: ab hac viſitatione præpara te ſequenti Meditationi.

PRIMA MEDITATIO PRIMÆ DIEI.

De fine & beneficio nostræ Creationis.

ORationem præparatoriam in hac Meditatione, & reliquis omnibus comitetur profunda animi demissio, quâ postules à Deo gratiam, vt hora Meditationis benè & cum fructu impendatur, vtque omnes animæ potentiæ ritè munere suo defungantur; Memoria, suggerendo quidquid facit ad propositam materiam, Intellectus, penetrando occurrentes veritates; voluntas resoluendo se ad ea, quæ ad maiorẽ Dei gloriam. & vtilitatẽ tuam esse videbuntur.

I. *Præludium.* Imaginare regem aliquem, qui è vilissimo Pago eductum rusticellum Aulæ suæ non tantùm proponit, verùm etiam inter intimos adoptatum ijs afficit honoribus, diuitijs & fauore, qui solis Regni primatibus donari consueuêre.

II. *Præludium.* Pete lumen à Deo, vt cognoscere possis gratias, quas te creando tibi contulit; cùm ex fine comparatione

tione maiores ſint, quam ſi Rex aliquis te de luto & fimo ſublatam ad ſummos honores & gloriam euexiſſet.

I. *Punctum.* Creauit Deus animam meam eo fine, vt illum amem, eíque ſeruiam; & vt eum amando eíque ſeruiendo fiam capax gloriæ cæleſtis, vbi eum videam, & amem æternùm ſine vllo vllius mali periculo, imò in poſſeſſione omni boni, & felicitatis. Non alium ob finem in mundo ſum. O quantum hinc debeo ſic amanti Creatori! Angeli propter illum ſunt, & ego. Maria ſanctiſſima illius Mater, & omnium creatarum rerum nobiliſſima eſt propter illum, & ego. Deus ipſe non alium ſibi propoſitum finem habet, quàm ſeipſum, ipſe & meus finis eſt. O anima mea, inter creaturas omnes ingratiſſima es, ſi tanti beneficij magnitudine non tangeris. Es perfidiſſima, ſi non perſequeris finem tuum: ſi non iſtud agis, propter quod in Mundo es. Ipſum cælum, ipſe ſol, ipſa Elementa & Creaturæ omnes Deo obtemperant, & ad finem ſuum contendunt,

dunt, præter te vnam, ô anima mea! sed non sic imposterum. Actum est, Deus meus, nolo amplius esse de numero rebellium tuorum: nolo alias deinceps cogitationes, nolo intentiones, quæ non ad seruitium tuum dirigantur.

II. *Punctum.* Quando Deus creauit animam meam è nihilo, poterat creare infinitas alias, quas tamen in nihilo suo reliquit, neque vnquam educturus est. Ah anima mea, quo tuo opere diuinam bonitatem excitaras, vt hoc tibi beneficium conferret? & nunc quantùm illi debes propterea? an non constantem animi gratitudinem, seruitium & amorem? sed hæc fortasse cogitatio animum tuum hactenus non pupugit; pungat sane imposterum; & iam nunc obstupesce hanc amabilem bonitatem, hoc opus amoris incomparabilis, quo te Deus dilexit, dum esse te voluit, tot alijs in suo nihilo relictis.

III. *Punctum.* Quando Deus ex nihilo produxit animam meam, inter innumeras illas, quas creare poterat; & quas

quas tamen nunquam producturus est, fuere plurimę, quę me fidelitate, sapientia & sanctitate superassent; quæ illum amassent ardentiùs, quæ minus offendissent, quæ maiora pro illius honore perpetrassent; & nihilominus ijs neglectis meam selegit, vt illam crearet, & huic corpori commodaret. An non dolendum est, tot tamque præclaras animas, quæ tanta vitæ sanctitate, tanto in Deum suum amore floruissent, creatas non esse? nonnullæ sine dubio illarum æquassent S. Teresiam, aliæ S. Catharinam Genuensem, aliæ S. Benedictum, S. Vrsulam, S. Ignatium; alios aliæ virtutibus etiam anteiuissent. O anima mea, cum locum illarum occupes, an non deceret te viuere eo ritu, quo aliqua illarum vixisset? quid igitur decernis imposterum, qua ratione viuere statuis? Aperi mentem tuam Creatori tuo, & tanti beneficij magnitudinem solidis propositis & resolutionibus adæqua.

Colloquium. Primò age gratias SS. Trinitati pro beneficio Creationis. Secun-

cundò roga Beatissimam Virginem Matrem, quæ tam singulariter in finem suū tetendit, vt tibi adsit in propositis tuis. Tertiò recurre ad aliquem Patronum tuum his similibúsue verbis: sic est, Patrone mi, vitio meo accidit, quòd tibi similis non sim! vtinam parem amorem, parem humilitatem, & parem sanctimoniam haberem! Pater, Aue.

Peracta Oratione instituenda Recollectio est, & quædam reuisio Meditationis, quomodo successerit, quem fructum hauseris, qui defectus sese insinuarint. Fieri potest deambulando per cubiculum, aut alio quouis commodo corporis situ; plerumque illi medius quadrans impenditur. Concludes illam denique, deprecando defectus, qui in Oratione admissi sunt, & pollicendo vsum eorum luminum, quæ tibi DEVS largitus est, eorúmque propositorum, quæ concepisti.

A Recollectione deliges tibi Tesseram aliquam spiritalem, quam in die vsurpes: seruire tibi hodie potest illa D. Augustini DEVM alloquentis: *Væ tempori illi, in quo non amaui te.* Illam extemplo decies itera, ac deinde quoties per diem

iubebit; iubeat verò frequentiſſimè & vbique, vt animum tuum teneat occupatum, ſuggeratque tibi ſuaues conceptus & amantia ad illum ſuſpiria, quem heu! ſerius amaſti. Si hæc teſſera tibi non arridet, aliam tu delige, iſta hoc & ſequentibus diebus arbitrio tuo commiſſa libertas eſt; ſed delige pulchram, piam & breuem, & plus centies in die repete. Aliud eiuſdem D. Auguſtini dictum: *Domine, inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te*, affectu plenum eſt, & huic diei opportunum. Vide an præ alterâ tibi ſapiat.

Sequitur Oratio vocalis, aut officij ex obligatione recitandi, aut Precum aliarum ſiue Roſarij, ſiue Officij B. Virginis aut S. Ioſephi, aut alterius.

Hinc ad ſacrum te præpara & Communionem, ſi forte ea frui felicitate debeas.

A Sacro lege librum ſpiritualem, aut hanc ſubiectam Diſſertationem, (niſi malis illam differre in tempus recreationis poſt ſumptum prandium) aut aliud aliquid, prout tibi poſt Diſſertationem deſignabo.

DISSERTATIO SPIRITVALIS MATVTINA.

De Fructu Solitudinis cum vita communi consistentis.

HAgiophila, cùm iam in solitudine sis, & paruo cubiculi tui deserto; patieris me tribus verbis excurrere in commendationem vitæ solitariæ, vt tantò faciliùs tui secessus felicitatem agnoscas, vtque deinceps maiore animo statuas subinde in Eremum conuertere cellulam tuam, quod medium præsentissimum est, ad illam cordis solitudinē & collectionem internam, in qua rerum spiritualium Magistri plurimum momenti ad profectum animarum constituunt, acquirendam. Nunc de priore seu externa solitudine agamus, à prandio de altera tecum disseram.

Iam nunc securus sum, tibi futuram cordi hanc vitam: qui enim animo perpendit suauem conditionem solitarij, & deserti delicias, non potest non propensissimo affectu in solitudinem inclinari.

S.Hieronymus, ſi quis alius deguſtauerat voluptatem omnem, quæ poſſet ex hominum vſu & familiaritate prouenire: ille tamen ipſe, ſimul atque auram deſerti delibauit, ah! nemo,inquit,mihi ingerat vrbium frequentiam, conuerſationem hominum, fœminarum occurſum, & ſimilium creaturarum importunitatem; nullus cum ſolitudine conferri locus poteſt, hic mille moleſtijs exemptus ſum, hic occaſionibus Deum offendendi careo,hic ſecretò & ex animi ſententia cum Deo meo conuerſor. Nullus interpellator auocat, nulla redhibenda ſunt officia, nullis litteris petor, quibus reſpondere ſit opus,nulli attendere neceſſe eſt niſi Deo & mihi: denique hic delicias omnes reperio, hic cælicas prælibo voluptates. *Oppidum mihi carcer eſt, & ſolitudo Paradiſus.* Et reuera ſolitudinem gratam eſſe oportet, cum S. Ioannes Baptiſta ab incunabulis eam adiuerit, pluribuſque annis coluerit; ille, inquam, inter natos mulierum maximus. Sancta Magdalena,

na, etsi singulari iam gratia valeret apud Christum, aliam ſedem non elegit, & ſic triginta annos, qui reliqui erant vitæ, voluit tranſigere. Carolus huius nominis poſtremus Imperator, poſtquam regna ſua in Philippum filium deriuaſſet, eandem non minore gloriâ, quàm animi voluptate amplexus eſt, vt annalium noſtrorum ſcriptor aſſerere audeat, Carolum maiorem fuiſſe in ſua Eremo, quàm in Imperio. Eius nepos Philippus Tertius reipſâ quidem id non præſtitit, ſæpius tamen in hæc verba prorupit morti vicinus (quantumuis vitam duxiſſet innocentem) vtinam Corona caput non cinxiſſet! pœnitet fuiſſe Regem! meliùs in aliquo deſerti angulo, extra mundanorum negotiorum tumultum, extra commercium hominum vixiſſem. Nondum lubet, Hagiophila, centies iterare? viuat deſertum, viuat ſolitudo! id tamen à te modò non exigo, non adeuntur amplius deſerta; extra vſum iam eæ ſolitudines ſunt: ad aliam te magiſque commodam inuito;

nimirum ad Cellulę, ad Cubiculi, ad domus tuæ ſolitudinem, in qua ſubinde à cæterorum hominum commercio ſeiuncta cum Deo & Angelo tuo tutelari ſola verſeris. Neque auctor ſum, vt illic te ſemper contineas, ſed quantum poteris, & quantum id officium tuum & occupationes patientur. Si ſeruitio diuino mancipata es in domo religioſâ, ſingulari affectu cellulam tuam complectere. Ne ſis ex eorum vagorum, inquietorum, & libertinorum numero, qui in angulis omnibus reperiuntur, ad portam frequentiſsimi, vt obſeruent intrantes exeunteſque, vt quid fiat, quid dicatur; explorent. Tu in cubiculo tuo te contine, & ama ſeceſſum & ſolitudinem, quando id temporis ratio exigit; ne per domum vaga diſcurras, ſed ex cubiculo tuo paruulam Eremum conſtrue. Si verò ſecularis es, ſecede in conclaue tuum, minimùm ſemel iterumque per diem, potius quàm vt curioſitati tuæ ad portam, in feneſtris, in horto facias ſatis, Recipe te ad orandum, ad cogitan-

dum de diuinis tuiſque rebus, ad legendum libellum aliquem ſpiritalem, age denique Eremitam, ex animo, vt inſignem aliquam ſanctitatem conſequaris, fruariſque Solitariorum felicitate, vnâ ſaltem quotidie horâ.

A multis ſtudiosè inquiritur: vbinam locorum aër ſit ſaluberrimus, ſuauiſſimus, iucundiſſimus? alij aſſerunt in monte Olympo, alij in Arabia felici, alij alia loca aſſignant: quiſque quod volet definiat, mea ſententia eſt, aërem cellulæ eſſe ſaluberrimum, ſuauiſſimum, & maximè vtilem illi, qui magnos facere in virtutibus progreſſus, ſe Deo penitus tradere contendit, & quidni? poſt Choros, Ædiculas & Templa, in quibus ſeruator noſter quieſcit, nihil reperio auguſtius, nihil præſtantius cellulâ & conclaui alicuius probæ animæ, modò in illud tanquam dilectiſſimam ſuam ſolitudinem ſubinde ſe ſubducat. Vt dictis fidem faciam, audi, Hagiophila, opinionem meam de cellulæ tuæ excellentijs: quid illam eſſe arbitraris? E-

remus

remus eſt paruula in medio Ciuitatis
alicuius, in qua tu anachoretam agis,
quamdiu tibi libuerit illic commorari.
Illic ſine teſte peragis tua pietatis opera,
tuas deuotiones, nemine obloquente;
illic humiliter terram deoſcularis, illic
adoras ſeruatorem tuum, eiuſq; vulneribus labia affigis, quod alibi, & in hominum oculis non auderes. Illic oculos in
Cælũ extollis, iungis manus, pectus pulſas abſq; metu humani reſpectus, eiuſq;
peſſimi verbi, *quid dicetur*? denique agis
illic omnia, quæ ſolitarius in eremo ſua
perageret. Quid enim obſtat? Quid Cellula? conclaue eſt diuini amoris: in eo
mille ſuſpiria iaculaaris in cælum, in dilectum ſponſum tuum, nemine, extra illum, conſcio; in eo pandis illi minutulas
moleſtias tuas, amantia vota tua, innocentes & caſtos affectus tuos, in eo cum
ſanctiſſima eius Matre miſces ſermones,
cum Angelis, cum illius intimis, ad eius
gratiam & fauorem promerendum; in
eo extra omnem garriendi, nugandi,
murmurandi, detrahendi, mentem tuam
diſſi-

dissipandi, tempus & conscientiam prodigendi occasionem constituta, illum, amanti gratoq; animo compellare potes, & dicere: O felicem; Deus meus, cui ad te offendendum desunt irritamenta! Quid censes esse cellulam? ex mente Diui Bernardi Cælum est. *Cæli & Cellæ, inquit, habitatio cognata; Cella & Cælum cognationem habent nominis, sic & pietatis Cælum dicitur à celando, & quod celatur in cælis, hoc & in cellis; quod quæritur in cælis, hoc & in cellis, nempe vacare Deo, frui Deo; Angeli Dei cellas habent pro cælis & aquè delectantur in cellis atque in cælis, à cella in cælum ascenditur. Cella terra sancta est & locus sanctus, ibi anima Deo iungitur.* Quid gloriosius dici potest in commendationem solitudinis, quæ in cellæ custodia habetur? quid optatius, quàm in via esse, qua ad cælum itur? à Cella ascenditur in Cælum. Cætera prosequamur: Cubiculum (præsertim animæ virtutibus dedicatæ) Tempellum est, & sacra ædicula, cuius, qui in illa commoratur, sacerdos est,

&

& administer. Oratorium vicem subit aræ principis, Imagines & picturæ Christi cruci affixi, & B. Matris, aqua lustralis non desunt: eadem prope peraguntur, quæ in Ecclesijs, imò teste eodem Bernardo: *In templo & in cella diuina tractantur, sed crebriùs in cella.* Cubiculum est hortus deliciarum, & area præstantis animæ: hic illa recreat se suauissimo vsu piarum cogitationum; nunquam innocentiùs suis affectibus indulget quàm quando sola est, & à creaturarum tumultu seiuncta. Nimirum *Cogitationes robusti semper in abundantia* ait sapiens, & vt alij vertunt: *Cogitationes collecti.* Qui enim Collectus est, & secessum atramque cubiculi sui diligit, sanctis & pijs cogitationibus abundat. Cubiculum est Tablinum animæ, vbi illa rei suæ spirituali attendit, vbi omnia ad calculos & rationem reuocat, expendit quid habeat, quid desit; vbi de componendis suis imperfectionibus, vitijs & affectibus deliberat. Solitudo similibus actionibus maximè idonea est, cùm per eam

animus in se facilè reducatur. Huius opinionis etiam fuere Ethnici, ex quibus Poëta canit: *Tecum habita, & noris quam sit tibi curta supellex.* Conclaue est illi, qui eo veluti solitudine quadam delectatur, non conclaue, sed aula congressus & colloquij cum Angelis & sanctis. Quantumuis illic quis solus sit, optima tamen Societate stipatur, minimùm quatuor personarum, Patris, Filij, Spiritus Sancti; & Angeli Tutelaris. Vt meritò dici hic possit: *Numquam minus solus sum, quàm cùm solus*, cùm fruar eorum consortio, quorum vnus multis millibus mortalium antecellit, & verò sum cum tanta satisfactione illius, qui cor meum possidet, vt si alius interpellator se ingerat, præpediàtque solitudinem meam ægrè laturus sit, & consuetos fauores subtracturus. Vir sanctitatis fama celeberrimus singulariter Annuntiatis Bituricensibus commendabat, vt ab ingressu cubiculi alieni abstinerent, quòd à Religiosa didicisset: IESVM illam inuisere solitum, noluisse amplius reuer-

uerti, poſtquam nonnullas alias in ſuum cubiculum admiſiſſet; factiq; rationem addidiſſe: quòd ſponſus probè zelotypus ſit ſponſæ ſuæ, neq; alteri, quàm ſibi præberi aditum patiatur. Conclaue, ſi illud diligis, arx eſt aduerſus hoſtes munita æquè atque ſecura. Tribus fortiſſimis & moleſtiſſimis inimicis nos impeti aiebat S. Antonius, Oculis, Auribus, & Lingua. At ſi Cellam meam cuſtodiam, cùm neminem videam, nihil audiam, & ſilentium accuratum ſit, ſumma fruor tranquillitate & pace. Denique Cubiculum Paradiſus eſt, & quietis locus, de quo iure meritiſſimo idem dicere poſſumus, quod Hieronymus de ſuo deſerto: *Mihi cætera carcer, & ſolitudo Paradiſus.* Id ſaltem non ignoro, pientiſſimum Thomam de Kempis non alibi, quàm in Cella ſecuriorem quietem, maiuſque ſolatium inueniſſe. Verba illius ſunt, quæ grandioribus deſcripta characteribus tibi ſemper ob oculos verſari deberent: *In omnibus requiem quæſiui & non inueni, niſi in angello cum libello.* Hagio-

giophila, nonne iniurius tibi fuissem si te celassem singulares illas prærogatiuas, & felices excellentias, quas ex cubiculi tui solitudine consequi potes? satis dixisse me puto, vt te eius amore inflammarem, & vt cognosceres, magno sibi damno esse eos, qui continere illic se nequeunt, seque cuiusuis obuij arbitrio indulgent. Nonne felix es, quòd per dies aliquot te ad Cellæ tuæ solitudinem obstrinxeris? si me audis, præstabis idem annis singulis. Imò amplius, singulis mensibus integrum aut medium diem delige, quo Eremitam agas, & seclusis tantillo tempore negotijs omnibus, nullam aliam, quàm de Deo & conscientia tua cogitationem admittas. Principio cuiusque mensis tempus ad hoc opportunissimum est, vbi fructus referes eximios; saltem perspicies statũ animæ tuæ, num in propositis tuis fueris constans, num ad mortem, quæ magnis passibus accedit, sis præparata. Atque is affectus annuæ & menstruæ secessionis procedet à quotidiana illa cellæ cu-

læ custodia, quam hac dissertatione proposui. Quo vt efficacius te permoueam, finio verbis elegantissimis S. Bernardi: *O anima sancta, sola esto, vt soli omnium serues teipsam, quem ex omnibus tibi elegisti; fuge publicum, fuge & ipsos domesticos. An nescis te habere sponsum verecundum, qui nequaquam suam tibi velit indulgere præsentiam, præsentibus cæteris?* Quî monitum hoc arridet? optimè iudicio meo facies, si fidem adhibes verbis tanti Abbatis, & Spiritui Sancto, quoties te interno instinctu ad cubiculum inuitauerit, obtemperas. Simul atque ea cogitatio in animum tuum incurrit, recipe te, quamcumque societatem interrumpe, nullo habito hominum respectu, desere omnia, nisi muneris tui ratio aut obedientia alibi te habeat occupatam. Imitare Thomam de Kempis, qui impelli se sentiens, vt in cellam orandi vel scribendi gratia se reciperet, planè fratribus dicebat, & ijs quibus cũ versabatur: *Chariſsimi Fratres, oportet me recedere; est enim in Cella, qui me exspe-*

ctat. Cellam verò ingressus demittebat sese in genua, opusque suum his Samuelis verbis: *Loquere Domine, quia audit seruus tuus*, auspicabatur.

Habes, Hagiophila, Dissertationem, quam tibi promiseram; si aliam lectionem desideras, lege priora quinq; capita primi Tractatus Rodericij in prima parte: Aut nonum, decimum & vndecimum caput libri tertij de Imitatione Christi.

Absoluta hac Lectione renoua proposita tua circa deuotionem, quam debes Augustissimæ Trinitati; hæc deuotio deuotionum est, quam tibi præ reliquis omnibus comendo, præsertim, vt sæpius iteres Gloria Patri, &c. & actiones tuas bonaque opera facias numero ternario in honorem trium diuinarum Personarum. Et ne cogar dicta repetere, vide nunc (si otium est) aut à meridie tempore recreationis, quæ de ea deuotione dixi in Sancto Fauore apud IESVM Cap. 7. præcipuè prima & quarta Deuotione, & Statue maiore quodam affectu, quàm hactenus, ferri in hoc sacrum mysteriũ.

Deinde para te ad Meditationem sequentem: cùm enim ad amandum & seruiendum Deo conditi simus, vt eo sic aliquando perfruamur, sciri necesse est,

quid

quid ſit eum amare, quid illi ſeruire & circa ea etiam binæ Meditationes verſabuntur, quas adhuc hodie peragi oportet.

II. MEDITATIO.

De Amore, quem DEO *debemus.*

Oratio præparatoria vt ſuprà.

P*Ralud.* I. Imaginare bonam aliquam & prudentem Matrem, quæ Filiam ad Amorem ſollicitat, cuíque reſpondeat Filia, ſe officio ſuo nunquam defuturam, eò adigi pluribus nominibus, in illam vnā tendere omnes affectus ſuos.

Prælud. II. Roga Deum, vt cum ſimilia à te poſtulet, det tibi lumen, vt agnoſcas immenſum illud deſiderium, quo amari cupit à te.

I. *Punctum.* Deus nos condidit, vt eum amemus, & vt amemus præcipit. Conſidera Amorem illum titulis omnibus ei deberi; tum quia Pater noſter eſt, cuius beneficio viuimus & ſumus. At quid naturæ conformius, quā amare Pa-

rentem ? tum quia noſter benefactor eſt, qui de victu, veſtitu, habitatione, de omnibus denique prouidet nobis; at quis ita naturam exuit, vt eos non diligat, quorum beneficijs fruitur ? tum quia Princeps noſter eſt, & Dominus & Rex eius clementiæ & affectus, vt maximè velit nos participes & hæredes efficere Regni ſui & cæleſtis & æterni; at quis non ferret in oculis eum Principẽ, quem ſciret amicis ſuis talia deſtinare ? Hiſce omnibus titulis & alijs Deus amandus eſt. O amabiliſſime Creator qui potes omnia, iube vt te amet cor meum, & da quod iubes, rebellem meam compellendo voluntatem ! ô mi ſint corda mille & millies mille, eaque omnia plena ijs affectibus, quibus abundauit cor maximi Sancti tui, vt deſiderijs meis & meritis tuis reſpondeat amor meus.

II. *Punctum.* Deus amari vult, ſed ſine modo & menſura, id eſt ex toto corde: cùm enim cor noſtrum, etſi exiguum, ſemper poſſit amorem ſuum dilatare, non vult terminum Deus; neque

que vnquam dicat amans, ſufficit, & hucuſque, non vltra amare illum volo. Primò, quia aliter tractandus eſt Deus, quàm res ab illo creatæ: atqui in his amandis modus eſt: *Diliges proximum tuum, ſicut teipſum*: en menſuram. Secundò, Deus infinitè amabilis eſt: cùm ergo reponere amorem non poſſis infinitum & reciprocum, quod præſcribunt amantium leges, repone quàm potes maximum, continuâ noui amoris acceſſione, vti S. Auguſtinus, S. Franciſcus, S. Tereſia, & tot fecere alij. Confundi igitur meritò hîc potes anima, mea, quæ toties menſuram præfixiſti amori tuo, dum diceres, id quod patrabas non omninò eſſe mortale, eſſe ex leuioribus venialibus; iſtud conſilium, iſtam regulam, iſtam ordinationem non grauiter obligare. Itáne deinceps loqueris? tam parum amabis?

III. *Punctum.* Conſidera, quid impoſterum facere poſſis, & velis, vt eum ames, vbi, quando, & quomodo, iuxta facultates & omnes vires tuas. Percurre

ſingula, & vbique accende ignem amoris ardentis more Sanctorum, & potiſſimum exemplo Sancti Sanctorum IESV Chriſti, qui tanta facit pro ſalute noſtra, quam procurare vel vnico ſuſpirio potuiſſet. Luculentum teſtimonium dederat amoris erga nos ſui, quando carne noſtrâ indutus iacuit in præſepi: ſed an iſtud ei ſufficit? Minimè. Et adhuc torpeſcit animus, neque flammæ mei IESV patientis & morientis, poſſunt depellere pertinax frigus cordis mei?

Colloq. Ad Dei Filium, cuius cor fornax eſt immenſi amoris. Ora illum, vt te flammarum ſuarum faciat participem, faciat te in amore Seraphicum. O Deus, digniſſimum totius amoris obiectum! cur non ardenter ab omnibus hominibus diligeris? vtinam ex illis eſſem, qui te vnicè amant! *Tempus erat, quando non amabā te:* at *væ tempori illi, quo non amaui te.* Seriò emendandum hoc crimen eſt: eſſe volo inter amatores tuos, volo etiam cum diſpendio ſanguinis & vitæ meæ, & quidquid in hac vita charum

poſſi-

possideo. Ita contestor: aut moriendum, aut amandus Deus est, & quidem sine mensura, ad morem Seraphinorum est amandus. Pater, Aue,

Recollectio Meditationis. Visita deinde Venerabile, institue Conscientiæ Examen, & prande.

Hagiophila, reuerteris à sumpto prandio; an non huc rediens submissâ voce recitasti: *De profundis?* pro defunctis benefactoribus tuis, qui suâ liberalitate & munificentiâ sumptus, quibus alereris, necessarios reliquere? Laudabilis illa consuetudo est, eidem assuesce, seu adiens, seu rediens à mensa, certóque huius officij gratiam à Deo exspecta. Quid verò nunc, quâ ratione hanc horam perages? eius omnino sententiæ sum, vt animum relaxes aut ambulatione per cubiculū, per porticum aliquam commodam, per hortum, si tempestas anni & aëris permittat, sisque extra aliorum occursum, vt centies repetas tesseram tuam, quæ fortasse iam nunc memoriâ excidit, aut collocutione cum tali persona, quæ nullos, quàm de rebus spiritualibus sermones misceat; nisi tantum animi tibi sit, vt velis te modico hoc solatio priuare; aut lectione matutinæ dissertationis, vel

ſeptimi capitis ex *ſancto fauore*, niſi ea iam lecta ſint. Saltem aliquo horum modorum te occupa, deinde nos reuiſemus.

Hagiophila, iam hora recreationis peracta eſt, & tempus adeundi ad Venerabile Sacramentum, vt inter cętera eam quoque gratiam poſtules pomeridiani temporis benè impendendi.

Hinc applica te Examini particulari, inde ſcriptioni eorum, quæ idonea iudicabis, vt tantiſper te occupes, aut quæ voles propriâ manu exarata tibi impoſterum deſeruire, aut vt ſomnolentiâ te expedias; cui pellendæ ſcriptio peropportuna eſt. Sed age; nunquid indulgere tibi ante vel poſt ſcriptionem debebam, vt ſemihoræ quadrante paullulùm oculis conniueres, quò ad Orationem reddaris aptior? nullum mihi ius in oculos tuos vſurpo. Scient illi exigere neceſſitates ſuas, & tu eius prudentiæ es, vt plus ijs non concedas. Ad me hoc ſolùm pertinuit, vt ſignificarem hoc tempus eſſe ſcriptioni commodiſſimum.

Quod ad ſcriptionis materiam attinet, grauatè illam definio, cùm neſciam, cuius tu genij ſis, quid tibi arrideat, quibus deuotionis exercitijs ſis addicta. Verùm vtut es, ſuadeo, quotidie ſcribas ea lumina, quæ tibi Deus largiri dignabitur;

tum

tum bona proposita, quæ feceris, deinde quod libuerit. Neque dubito, quin libellum habeas, in quo secretissimas tuas deuotiones, & sanctiores affectus annotes, & quem subinde, præsertim festis solennioribus, aut semel in mense peruolas ad renouandam tuorum propositorum memoriam; libellum arcanum, quèmque non facilè alijs pandas. In hoc igitur notari debebunt omnia. Similem memini me nuper vidisse, spectantem ad eximium quendam Dei seruum; in quo hæc continebantur. Primò Litaniæ suorum Patronorum, vt eas quotidie recitaret. Secundò, Beneficiorum tum communium, tum priuatorum Catalogus, vt de ijs diuinæ bonitati gratias sæpiùs referret. Tertiò, Series præcipuorum benefactorum & amicorum, quibus preces suas aut pro sacro, aut pro fine Examinum addixerat. Quartò, Res plures, quas à Deo postulabat quotidie, veluti saluti suæ consequendæ necessarias. Quintò, Nomina amicorum defunctorum, quos sperabat in cælum admissos, vt eos inuocaret, aut esse in Purgatorio, vt eos iuuaret suffragijs suis. Sextò, Nõnullæ virtutes, circa quas particulare Examen instituere volebat, vnà cum vitijs, quę eodem Exercitij ge-

nere ſtatuebat oppugnare. Septimò, Opera pietatis, quæ ad honorem Deiparæ ſingulis diebus, menſibus, & annis exercuit. Octauò, Alio, quæ ad cultum Venerabilis Sacramenti, & Paſſionis memoriam referebat. Nonò, Variæ Orationes iaculatoriæ, quibus totâ vitâ in oblatis occaſionibus vteretur. Decimò, Diuerſæ pœnitentiæ, ſingulis ſeptimanis & feſtorum peruigilijs ſubeundæ, cum breui Teſtamento animæ, ad imitationem eius, quod S. Borromæus fecit, concepto. Atque hæc præcipuè libellus ille complectebatur, Auctoríque ſuo ſeruiebat loco Diurnalis, Ducis, & Directorij, ad ſuas deuotiones exequendas. Ex ijs punctis delige, quæ maximè tibi commoda videbuntur, & ſequentibus diebus in ijs, cùm ſcribendum erit, te occupa; nunc in hoc, deinde in altero, vt in fine ſeceſsûs rem habeas confectam. Incipe iam, etſi temporis aliquid tibi ſuffuratus fuerim, aliàs emendabo me, neque hac de re ampliùs conueniam.

A ſcriptione transfer te ad Lectionem ſequentis Diſſertationis, aut eorum, quæ tibi poſteà notabo, vt liberior ſis: notabo autem quæ maximè in rem tuam faciunt, & repertu ſunt facilia.

DIS-

DISSERTATIO POMERIDIANA.

De Spiritu Secessûs & Collectionis internæ, quæ est vera, & appetenda animi solitudo.

HAgiophila, si polliceor me ostensurum tibi rationem, quâ euadas felicissima, non tantùm in cælo, vbi omnis beatitudinis & felicitatis cumulus est, verùm etiam in hac ipsa vita tot miserijs calamitatibúsque subiecta, nonne dignus videbor, quem audias? & an non lubens has paginas euolues, in quibus hac de ratione dissero? ita facti dimidium à te obtinui: perficies, si ea, quæ dixero, exequaris. Sed numquid nimia sum fiducia, dum asserere audeo, solitudinem cordis, de qua nobis sermo est, reddere posse te beatam in hac sede lacrymarum, calamitatúmque? dicant de me, quod volent: vti non sum in extollenda cordis solitudine, & collectione interiori præfidentissimus, ita nec videri debeo præ reliquis dignus, qui nomine reprehendar. Nostro sæculo Martyr in Hol-

Hollandia Cornelius Musius de ea loquebatur, quando summo animi sensu affectúque erumpebat in hæc paucula verba, sed omni auro mihi chariora: *O beata solitudo! ô sola beatitudo!* planè quasi tota vitę nostrę felicitas in ea consisteret, & ita quidem, vt inter omnia infortunia, & aduersa nouo quodam, & inaudito miraculo non desinamus esse contenti. Quam si semel possederimus, nulla erit creatura tam potens, nullus casus tam violentus, qui nos possit, nisi vltrò præcipites, de tranquillitate & beatitudine nostra deturbare: nulla fortunæ, seu blandientis, seu aduersantis conditio mouebit, aut affliget. Meritò igitur dicere & iterare frequenter possumus: *O beata solitudo! ô sola beatitudo!* vt verò maiore animi sensu id dicas, nonne rationi consentaneum tibi videtur, vt me declarem, vt confirmem propositionem meam, vt explicem, quid sit cordis solitudo, vt neque hoc reticeam, quàm facilè eius vsum tibi possis reddere familiarem? id omninò est, quod

pro-

proposui, nullam volens illius excellentiam præterire. Vt enim verum fatear, solitudo illa corporis, de qua hodie disserebam, bona, vtilis, & aliquando optanda est, animâ tamen caret, si ei hæc cordis solitudo non adiungatur, cùm hæc grauioris momenti sit, & maximè necessaria, summæque perfectionis illa verò non, nisi quatenus ad aliam disponit. Vnde ista est Magni Gregorij maxima vox omnia complectens: *Quid potest solitudo corporis, si desit solitudo cordis?* cuius dicti veritatem tunc clarissimè perspicies, vbi dixerimus, in quo sita sit hæc cordis solitudo. Et dicere paratus sum, velim tamen prius mihi dicas: an non aliquando quâdam animi propensione & amore personam aliquam sis complexa? affirmabis omninò: itáque esse suspicabar. At nónne id temporis creatura illa semper in corde tuo versabatur, ita vt aliam nullam admitteres, aut siqua se forsan insinuasset, non illicò excluderes, vt huic vni cogitationes omnes tuas applicares? soli illi patebat

tebat aditus ad cor tuum, illa ſola iſtud poſſidebat, deſipiebant omnia, niſi illam verſares animo, niſi de illa loquerere. Deum eâ ratione habere in corde, eóque modo complecti, eſt præſtans illa cordis ſolitudo, quam tibi conor perſuadere. Cùm eouſque perueneris, vt omnes creaturæ flocci pilíque ſint, & ratione dilecti tui deſipiant, illéque ſolus ſit obiectum amorum tuorum, tuarum cogitationum, tuarúmque voluptatum, tunc nimirum eâ ſolitudine perfrueris, de qua mihi ſermo eſt. In mundo eſſe, & viuere, quaſi nihil illic eſſet præter Deum, & te animatam, eo propoſito, vt illi vni placere velis, ſine cura alia, quàm vt illi ſatisfacias, præſertim in vſu & conuerſatione hominum, (quæ tamen idcircò inculta, & aduerſa charitati non erit) hoc demum eſt habere eam, quam deprædico, ſolitudinem. S. Eucherius ſcribens S. Hilario tradit, curioſum quendam, adijſſe perſonam fama virtutis celebrem, ſciſcitatum: vbi Deus habitaret. Bone vir, reſpon-

ſpondit alter, ſcire hoc compendio vis? manum porrige, méque ſequere. Illum igitur apprehensâ manu duxit in deſertum: Hîc, inquit, locus eſt, vbi Deus habitat. Innuens eo pacto, quòd quiſquis Deum reperire deſiderat, eundem quærere debet extra turbam, & Mundi tumultum, & in paruo cordis ſui, ab omni creaturarum affectu ſemoti, deſerto.

Hagiophila, nondum ſcire appetis, an in omni loco, & in quouis occupationum genere ſeruari poſſit hæc cordis ſolitudo? imò verò, dicam. Audi igitur, quòd aliquando Deus dixerit Philippo Nerio in Metropoli Orbis habitanti: Philippe, in vrbe Româ tanquam in deſerto viuendum eſt. Id enimuerò docere erat, poſſe vbiuis locorum haberi illam cordis ſolitudinem, ita vt nec impedire eam poſſint occupationes ex charitate ſuſceptæ, neque conuerſatio hominum, quam ſtatus cuiuſque exigit, & cui ſe hic Sanctus ex inſtituto Ordinis ſui impendebat. In hoc totius rei cardo vertitur, vt ſcias illam vſu ipſo

exer-

exercere : & ne dissimulem, eò pertingere solæ animæ regiæ possunt. Sic enim, teste D. Gregorio, intelligi debent verba illa Iobi: *Nunc silerem cum regibus terræ, qui ædificant sibi solitudines :* a quasi diceret : Vis illæ abiectæque animæ, quæ non habent generosa perfectionis consequendæ proposita, ad illam collectionis internæ felicitatem peruenire non possunt defectu cordis regij, & sublimia tantùm appetentis. Cùm verò tu ex numero sis earum animarum regalium, & desiderare videaris, vt cor tuum vertatur in solitudinem, quâ id ratione fieri possit, explanabo. Artem omnem complectitur D. Bernardus his verbis : *Deus spiritus est, ideò sola tibi indicitur solitudo mentis, non corporis. Sede solitarius, sede non corpore sed intentione, & deuotione.* b Hæc quisquis habuerit, habet materiam omnem, & apparatum tali in corde suo solitudini ædificandæ necessarium. Doleo sanctum hunc Abbatem pluribus men-

a *Iob.* 3. *v.* 13. 14.
b *Serm.* 40. *in Cant.*

mentem ſuam non explicuiſſe : quæ mea ſit, & quomodo illum intelligam, expono. Ac imprimis arbitror, intentionem illam requiſitam ad cordis ſolitudinem, & collectionem internam in eo conſiſtere, vt in omnibus actionibus noſtris ſolum Deum nobis propoſitum habeamus, vtque hæc præcipua & ſola noſtra intentio ſit, adeò vt cor noſtrum ſit ab omnibus creaturis abſtractum, nudum & vacuum, itáque omnem rerum terrenarum affectum exuerit, vt inter homines, in recreationibus, in occupationibus, & negotijs ſit nihilominùs ſolùm illi vni attentum, nihil quærens niſi ipſum, ipſiúſque gloriam, nihil aliunde ſatisfactionis, aut commodi mendicans. Hâc ratione conſtitutum cor non tantùm manè, & in principio actionum ſuarum de Deo cogitat, eius opem implorat, eíque offert, quidquid aggreditur, verùm etiam nullum alium ſuorum operum, cogitationum, & dictorum ſcopum habet, quàm Deum eiuſque beneplacitum; eo planè modo, quo Architectus

tectus murum erigens continuò regulam & perpendiculum ſingulis lapidibus, quos ædificio applicat, adhibere conſueuit.

Hagiophila, ſi iſtud agis, iam noſti ex corde tuo ſolitudinem conſtruere, quæ tantùm Creatori tuo & tibi ſeruiat. Ædificium profectò, quantumuis exiguum, ſuperbiſſimis tamen Regum palatijs præſtantius! & ne exiſtimes opus eſſe arduum moleſtúmque, patieris, vt narrem præclaram illam attentionem, quâ actiones omnes ſuas peragebat (vt eas in Deum referret) is Anachoreta, de quo vitæ Patrum: quando opus aliquod aggrediebatur ſeu precum, ſeu laboris, ſeu conuerſationis, aut alterius rei cuiuſcumque, paululùm conſiſtebat, ac veluti quid ageret, rogaretur; vide, aiebat, actiones noſtræ nullius pretij ſunt, multum ſaltem ijs decedit, ſi eo non collimamus, quò oportet. Reuocat id mihi in memoriam reſponſum illud obſeruatione digniſſimum, quod non ita pridem dæmon aliquis dedit, Intellexeris affli-

afflictionem Religioſarum Laudunenſium, quas maligni ſpiritus poſſidebant. Accidit aliquando, vt inter ſacros ritus, qui pellendis dæmonibus adhibentur, proponeretur pulcherrima D. Dominici imago: vix apparuerat, cùm ſubitò poſſeſſæ omnes terga illi obuertunt, neque adduci poſſunt, vt in eam oculos defigant; tandem vi exorciſmorum coactæ intuentur, vnica excepta, quæ mirum in modum reluctabatur: nihilominus eâdem virtute compulſa non ſolùm aſpexit, verùm etiam obtutum defixit in imaginis oculos, vti Sacerdos diabolo præceperat. His peractis exigitur à dæmone ratio, cur tantâ difficultate picturam hanc intueri detrectâſſet? vix obtineri reſponſum potuit: tandem exortæ hæ voces: Ha, inquit, cùm hic Sanctus inter mortales degeret, ſemper in Deum intuebatur, in omnibus actionibus ſuis oculos habebat in illum obuerſos; nos verò nos ipſas aſpeximus & quia aſpeximus, perijmus, & in hanc conditionem miſerrimam delapſæ ſumus. Poſt hæc

ma-

maturè considerata, fieríne poterit, vt non flagremus desiderio Deum semper habendi præ oculis, eum alloquendi, & in nobis ipsis illum presentem continuò intuendi? longè istud præstat, quàm in se oculos conuertere, quàm opera omnia, propriæ satisfactionis, commodi, vanitatis, & lubentiæ vitio labefactare. Vtinam, Hagiophila, haberemus oculos Diui Dominici! vtinam nunquam nosipsos respiceremus! vtinam tandem saperemus instructi admirandâ hac sententiâ, quam verissimam Deus à diabolo (mendaciorum aliàs patre) voluit enuntiari! quin fructum aliquem ex hac historia perceptura sis, nullus dubito.

Sed quis modus perueniendi ad hanc Collectionem tam sublimem, támque arduam, quæ tantâ occupationum multitudine, tantâ negotiorum varietate, tantâ licentiâ imaginationis nostræ non perturbetur? aptiorem non inuenio, quàm illum S. Bernardi præcipientis, vt nonnulla deuotionis exercitia vsurpemus, quibus mirum in modum secessus

ille

ille interior redditur facilis: *Secede non corpore, sed intentione, & deuotione*, quasi cordis solitudo ex duabus alijs componeretur, solitudine intentionis, de qua nobis hactenus sermo fuit, & solitudine deuotionis, de qua nunc loquendum est. Has deuotiones ad quatuor capita refero, quæ vnita, imò verò etiam singula spiritum nostrum facili negotio collectum conseruant: eáque tantò libentiùs hîc commemoro, quòd Sanctis in vsu fuerint ad finem eundem, aut consequendum, aut conseruandum. Primum est, habere quædam quasi refugij loca, ad quæ quis se recipiat, quibúsque animo semper inhæreat: sed ita suauiter, vt propterea negotium, quod præ manibus est, nihil detrimenti patiatur. Sic Religiosissimus Berchmannus recurrebat ad vulnera Seruatoris, & ad pallium Matris Deiparæ, vt illic protegeretur. Sic S. Catharina Senensis ex prouidentia Diuina sibi struxerat conclaue, quo se recipiebat. Ita S. Paulus iuxta mentem D. Gregorij ex occupationibus, quæ illum in-

terris detinebant, animo in cælum euolabat. *Nostra*, inquit, *conuersatio in cælis est*. Alterum est, vt Dei præsentiam vbique, & in omnibus tibi reddas familiarem, Regij Vatis exemplo, qui eum semper *à dextris* imaginabatur. Tertium est ab Orationibus iaculatorijs, breuibus, sed sæpe iteratis, quæ mentem nostram accendant. Aut à tessera quadam spiritali, quam singulis diebus deligere oportebit. Noui virum, cui hæc frequentissimè in ore: *Nullum bonum, nisi æternum, nullum malum, nisi æternum.* Alteri fuit hæc communissima tessera: *Pro* IESV *quid vis agere, & pati decet*. Sancto Xauerio illa: *Mater Dei memento mei*. His illi sententijs manebant continuò collecti & sui. Quartum est, quod ex ipsis occupationibus desumitur. Ita S. Catharina Parentibus, alijsque domesticis inseruiens IESVM, Mariam & Apostolos sibi proponebat. Ita pientissimus P. Faber (primus S. Ignatio socius) in itineribus Angelos locorum, & hominum Tutelares, sibi comites adsciscebat, ijsque

Clien-

Clientes commendabat. Ad eum modum, quoties hora audiebatur, S. Ignatius animam citabat ad examen actionum suarum, vt perspiceret, recténe essent omnia. S. Teresia refricabat memoriam mortis, & Venerabilis Buzo Sancti alicuius ex ijs, quos peculiari cultu venerabatur. Hac ratione alij, si in oculos incurrat creatura formæ præstantis: ah! inquiunt, quàm formosior Iesvs est, quàm Maria amabilior! si sunt in hominum conuersatione, aut ab ea digrediuntur; tacitè dicunt: ah! amantissime Seruator, quantò suauior est illa, quæ tecum initur necessitudo, & familiaritas! si adesse coguntur personis deformibus, incultis, asperis, aut aliqua corporis, vel animi molestia laborant; ah! aiunt, quàm hoc dulce & iucundum est, si cum Inferno Purgatorióque conferatur, quæ loca toties peccatis meis promerui! Ita illi pro occupationum varietate alias atque alias, sed semper pias & sanctas cogitationes eliciunt, nõ minore fructu, quàm animi voluptate.

Habes, Hagiophila, modum, quem ad facilitandam illam internam collectionem tibi promiſeram; qualis verò foret ea tibi & mihi felicitas, ſi eius compotes fieri poſſemus? Caue rem æſtimes difficilem; vt enim talis eſſet, minúſne animi tibi eſt, quàm fuerit tot alijs, qui id conſecuti ſunt? quique, quod vel ſemel firmo mentis propoſito dixerint: iſtud volo, vt cor meum ſemper in Deum dirigatur: eo tandem peruenêre, vſúmque ſibi reddidêre perfacilem. Neque pertimeſcas, ne hæc attentio te moroſam reddat & triſtiorem, quin è contrario, lætitiam pariet, & alacritatem. Nullum enim lætius cor, quàm quod amore diuino ſaucium eſt, quódque liberis & crebris cogitationibus verſari poteſt circa id, quod caſtiſſimè ſanctiſſiméque amat. Nullam alibi quære voluptatem; in hac ſede mortalitatis non eſt vlla ſincerior. Iterum inculcare placet: *O beata ſolitudo! ô ſola beatitudo!* Scire exercitium huius deuotionis, eſt in hoc miſeriarum loco, beatum eſſe, &

in-

inchoare felicitatem æternam: Eſt Angelorum ritu viuere, qui noſtræ tutelæ deputati ſunt; quantumuis enim opi nobis ferendæ, & curandis noſtris negotijs intentiſſimi ſint, non omittunt tamen Deum aſpicere, de illo cogitare, illum continuo ſtabiliſque amore complecti. Ire licet, & hoc voto te dimitto, vt Raphaëlem viuendo exprimas. Hic Angelus, Tobiæ comes, & inter homines verſatus, omnia peragebat more aliorum, diſſerebat loquebatur, tractabat negotia, cibum ſumebat, credebatúrq; in hæc ferri cogitationibus omnibus, velut è triuio homo. Interim verſabatur ille cum Deo, eundem ſibi ſemper propoſitum & præſentem habebat, *alio cibo & potu, qui ab hominibus videri non poteſt*, vtebatur, & Angelus erat. Eiuſmodi plures in domibus Religioſis, etiam in ſæculo viuunt, quos ſi occupatos aſpexeris, dices ipſis negotijs abſorberi, nullámque aliam, quàm de re præſenti voluere cogitationem. Nihilominus cor alibi eſt, nimirum cum Deo. Di-

çentur, omnia facere vt alij, & tamen plus longè faciunt, quia faciunt omninò vt Angelus Tobiæ, omninò vt tu factura es. Amen.

Si hęc Lectio displicet, aut non sufficit, lege cap. 6. 7. & 8. Partis primę Roderici tract. 1. vel cap. 1. lib. 1. de Imitatione Christi, aut cap. 22. & 34. lib. 3.

Post Lectionem applica te Examini virtutis alicuius, vt discas, qualis in schola Dei sis, quantúmque proficias; vt erubescas, te tam parum in virtute promouisse; & maiora eius imposterum exercendę desideria concipias. Examen istud instirui debet suauiter ad modum Lectionis, singulis tamen punctis pauxillùm inhęrendo. Deambula, si placet, aut prope Oratorium tuum intereà consiste.

EXAMEN CIRCA AMOREM ET CHARITATEM DEO DEBITAM.

EN vicenas notas sinceri amoris diuini.

Prima. *Nullum vnquam mortale peccatum admittere, qualiscumq; sese offerat occasio, imò mori malle, quàm se in labendi occasionem admittere.*

Secun-

Secunda. *Ne venialibus quidem peccatis deditâ operâ & deliberatò consentire.*

Tertia. *Dolere & detestari omnia delicta, seu magna, seu parua, quæ aduersus Deum committuntur.*

Quarta. *Publicè profiteri amorem virtutis, & odium cuiuscumque vitij.*

Quinta. *Amare Deum ex toto corde, integrum illud ei consecrando, neque in creaturas cum præiudicio reuerentiæ, honoris, & obedientiæ Creatori debitæ dispertiendo.*

Sexta. *Amare Deum purè propter ipsum, nullo intento proprio commodo, quamuis nullam neque in hac, neque in altera vita huius Amoris mercedem essem relaturus.*

Septima. *Amare quidquid Dei est, & in illo, & propter illum creaturas omnes, & non aliter.*

Octaua. *Amare quidquid Deus amat, præsertim ipsius mandata, consilia, & virtutes.*

Nona. *Maiori amore ferri in eos, quos ipse plus diligit, vt est sanctissima Virgo,*

Sancti alij, viri probi, & qui peculiariter ipsius obsequijs dediti sunt.

Decimò. *Dare operam, vt ametur, & gloria illius amplificetur apud omnes creaturas Amoris capaces.*

Vndecima. *Amare & approbare, quidquid circa nos & alios operatur, amanter omnia de manu paterna suæ bonitatis acceptando.*

Duodecima. *Velle & delectari in omnibus, quæ ipse vult, siue illa factu facilia sint, siue toleratu molesta.*

Decima tertia. *Priuare se creaturis, earúmque solatijs, & voluptatibus propter eius amorem.*

Decima quarta. *Sæpe illum versare animo, & libentiùs, quàm creaturas.*

Decima quinta. *Libenter de illo loqui.*

Decima sexta. *De eius Maiestate, & adorandis perfectionibus gaudere.*

Decima septima. *Pluris facere minimum gradum gratiæ eius, & minimum donorum & fauorum illius, quàm omnes totius Orbis honores & delicias.*

Decima octaua. *Optare quocumq; pre-*

tio

tio Amorem illius, etiam tolerantia quorumcunq; incommodorum & cruciatuum non tantùm ad tempus vitæ mortalis, sed etiam ad millia annorum, si Deus ea nobis largiretur.

Decima nona. *Ad visionem eius feruenter anhelare.*

Vigesima. *Crescere in dies in Amore, & aspirare ad ardentissimam, & quotidie augescentem sui Creatoris dilectionem.*

Hagiophila, vt verum fatear, credo te attonitam, dum vides, te plurimùm aberrâsse eâ opinione, quâ rebaris te Dei amantem, dúmque adeò paucas diuini amoris notas in te animaduertis. Habeas fortasse primam, prætereà nihil. Aggredere iam nunc, & intra annum plures obtinebis; quin Deo & Virgine Matre opem ferentibus, omnes.

Succedit Examini Oratio vocalis, seu Vesperarum alicuius Officij, seu Precum aliarum ex obligatione, aut deuotione recitandarum.

Hinc aggredere Considerationem hîc propositam. Quid in ea agendum iam in Monitis Generalibus declaraui. Si nimium

mium tibi videtur horam impendi integram, prudenter nunc & aliàs digere tempus tuum, & tantùm semihoram impende. Sic sum, vt voluntati tuę me penitùs accommodem.

CONSIDERATIO.

I. QVæ tibi felicitas, Hagiophila, octo, vel decem habere dies integros, quibus nullam aliam, quàm de Deo atque anima tua cogitationem, curámque suscipias? Milleni Ethnici sunt, & totidem Christiani, qui mirabiles in virtute progressus facerent, magnámque vitæ sanctimoniam consequerentur, si tali otio, similibus cogitationibus, & luminibus fruerentur, quibus iam tu abundas, & quæ Deus in hoc secessu tecum adhuc communicabit.

II. Fatere verum, nunquid è numero earum animarum es; quæ velut in tenebris palpantes ad Deum accedunt? nondum ruisti in eius amplexum, neque de omni iure penitùs illi cessisti; dudum est quòd cum illo licitaris. Tantáne tergiuersatione opus, vt tibi bonum cudas?

ah

ah quantam tibi iacturam paris! Tandem aliquando insiste vestigijs eorum Sanctorum,qui ardentissimè ea complectuntur, quæ tu tantoperè metuis; quique tantò feruentiùs profectum suum persequuntur, quantò propius abesse se vident à fine, propter quem conditi sunt.

III. Nonne iucundius & tranquillius est Deo seruire, quàm Mundo, & sibi? quid tibi nunc prodest,laxasse habenas cupiditatibus tuis? quem fructum retulisti ab amore huius, vel illius creaturæ? nihil melius est,quàm Deum diligere,illíque seruire: cætera omnia vanitas & afflictio animi. O Anima mea toties perfidia creaturarum decepta & afflicta, nonne tandem in sinu conquiesces vnici & fidissimi amantis tui? nonne pertæsa insaniæ & vanitatum tuarum, omnem curam & amorem transferes in Deum sincerè amicum & vnicè amabilem! qui nunquam fallit aut destituit suos, nisi quando contemptu legum suarum ignauissimè deseritur.

IV. Vbi eram ante centum annos? æternitas præcessit. Vbi eris post annos centum? sequetur æternitas, & quidem breui: cuncta enim incredibili celeritate præteruolant: sola tu anima mea testudineo passu graderis, & lentè repis in diuino seruitio, cùm plurimum itineris tibi restet peragendum.

V. Omnes illæ voluptates, quas nunc hic, nunc illic decerpit animus meus, quæq; non totæ, sed diuisim succedunt, relinquunt in fine quendam cordis amarorem & occultas anxietates: vnde istud? nisi quòd animus ad finem suum anhelat, exspectatque visionem Dei, qui solus vti obiectum infinitum, explere potest animæ & amoris mei capacitatem, nunquam saturandam ijs, quibus hactenus cum salutis meæ periculo intendi.

VI. Hoc fortasse vltimum tuum otium est; hæc postrema Exercitia, quibus incumbes. Si id tibi constaret, quid ageres? hoc age nunc, omni posito metu & respectu, age propter Deum & te: ne

tibi blandiaris, ne procrastines. Negotium hoc tuum est, negotium maximi momenti, & cardo prædestinationis tuæ.

Peracta Consideratione trade horam animi relaxationi; declaraui ad finem monitorum Generalium, qua ratione transigi illa possit: si integra redundat impende semihoram: ita denique tempus dispesce, vt omnibus sufficiat.

Inde ora Officium, aut alias preces vocales. Visita Venerabile, ac demum præpara te ad Meditationem.

III. MEDITATIO.

De seruitute, quam DEO *debemus.*

Oratio præparatoria consueta.

I. P*Ræludium*. Vide & admirare Apostolum Paulum, qui personam suam alio titulo noluit exornare, quàm serui Iesu Christi: *Paulus seruus Iesu Christi*, hoc potissimum elogio vtitur, non dicit se patratorem mirabilium, non Apostolum Nationum, non Gentilium Magistrum, sed seruum Iesu Christi.

II. *Prælud*, Pete à Deo gratiam, vt

cognoſcere poſſis, in quo ſita ſit felicitas, excellentia & materia ſeruitutis Deo debitæ; vt ex huius cognitione transeamus ad vſum eius rei, propter quam conditi ſumus.

I. *Punctum.* Immenſam eſſe Dei maieſtatem neceſſe eſt, cùm illi ſeruire, regnare ſit, & maximus titulus, quem homines etiã honore & ſanctimonia præſtantiſſimi ambiunt, ſit eſſe ſeruos Dei. Et verò nihil excelſius de aliquo dici poteſt, quàm, magnus eſt ſeruus Dei, hæc bona Dei ancilla eſt; multoque ampliùs, quàm ſi dicatur: Princeps eſt, Regina eſt, præſtans creatura eſt, homo ſapientiſſimus eſt. Malè mundo & omnibus qui illi ſeruiunt! Viuat Ieſus & ſerui eius! Anima mea, quæ tanta honorum ambitione teneris, cui vis ſeruire?

II. *Punctum.* Seruire Deo, eſt primò Deum Magiſtri & Domini loco habere. Dominus arbitratu ſuo de rebus ad ſe ſpectantibus diſponit. Qui agri Dominus eſt, poteſt illum diuendere, illum colere, illum negligere, in eo ſerere triticum,

ticum, legumina, plantare arbores, illas euellere & comburere vtcumque libitum illi fuerit. Eodémne pacto ad arbitrium Dei diſpoſita es anima mea? liberè de te diſponit? producisne fructus quos requirit à te? multùm abeſt, etſi propterea ab eo condita ſis. Secundò eſt conſumere ſe omnino ad voluntatem eius, qui Magiſter & Dominus eſt omnium Creaturarum. Ita Domino candela ſeruit ſe conſumens; ita cibis ſeruit ſal, dum conſumitur. Quæ ea felicitas mihi foret, ſi vita mea, quæ ad modum candelæ deficit, quæ diffluit ſalis inſtar, pro Deo conſumeretur? quando anima mea cum Regio Pſalte exclamabis: *O Domine, quia ego ſeruus tuus?* Tertiò eſt viuere cum reſpectu in eius præſentia, eique promptè, hilariter, & ad minimum nutum voluntatis eius obtemperare.

III. *Punctum.* Tria genera ſeruitiorum ſunt. Primò Mancipij, quod pœnis & verberibus ad officium vrgendum eſt. Secundò Mercenarij, qui mercedem

dem ſpectat & lucrum. Tertio Filij, qui ex amore ſeruit Patri. Quo pacto hactenus ego Deo meo ſeruiui, qua ratione deinceps ſeruiam?

Colloquium ad SS. Virginem, quæ ſe Ancillam Domini nominabat, & ad alios Sanctos, qui præcipuo affectu Deo ſeruiuerunt. Pater. Aue.

Recollectio. Lectio obuia Thomæ de Kempis. Roſarium. Viſitatio Venerabilis Sacramenti. Cæna Recreatio. Litaniæ SS. Viſitatio Venerabilis Sacramenti. Preparatio craſtinę meditationis. Examen. Quies.

Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum. II



SECVNDVS DIES.

De Pœnitentia vita transacta, qua Deum offendimus.

HAgiophila, peccata impediunt, quò minus ad finem, propter quem creati sumus, pertingere valeamus. Idcirco hunc diem transiges in consideratione peccati tum mortalis, tum venialis, vt inde horrorem, compunctionem & verę pœnitentiæ fructus elicias.

Inchoanda dies est à Visitatione Venerabilis Sacramenti, inde te para huic Meditationi.

MEDITATIO I.

De horrore peccati mortalis.

Oratio præparatoria consueta.

I. P*Ralud.* Statue te coram Deo veluti reum aliquem grauissimorum criminum, qui stet ante Iudicem catenatus, vinctus & manibus pedibusque arctissimè constrictus.

II. *Pralud.* Pete à Deo lumen, quo rectè miseriam peccati mortalis agnoscas,

ſcas, & vt illud tibi ignoſcat, ſi fortaſſis eo animam tuam aliquando contaminaueris.

I. *Punctum.* Peccatum mortale tam terribile eſt, & tantopere Deo fonti omnis ſanctitatis diſplicet, cùm actus rebellionis ſit, & iniuriæ aduerſus diuinam illius maieſtatem, vt vel ob vnicum, è cælo detruſi ſint Angeli, & in Infernum præcipitati, vbi etiam diuinæ Iuſtitiæ Carnifices effecti ſunt. Adam hominum Princeps & Parens vnum admiſerat, & illico non ſolùm ipſe Paradiſi delicijs excluſus eſt, verùm etiam tota eius poſteritas ad miſerias peccati morborum, peſtilentiæ, belli, reliquorumque incommodorum & aduerſitatum per totam vitam damnatur. Centum millia damnatorum ardent & æternum ardebunt ob vnicum ſolum commiſſum peccatum mortale, in quo mors illos occupauit. Tam horrendum eſt mortale peccatum. O Deus meus quas tibi gratias debeo, quòd, cùm eorum imitatus ſim culpam, eodem tamen loco cum illis non ſim.

II. *Pun-*

II. *Punctum.* Nihil in mundo odibilius & deteſtabilius eſt peccato mortali. Satius foret affligi quacunque alia calamitate in bonis fortunæ, honoris, valetudinis & vitæ, imò dæmonibus omnibus poſſideri præſtaret: cùm nihil execrabilius dici excogitaríue poſſit, quàm Dei eſſe inimicum. Deus ipſe nihil odit niſi peccatum: vbiquè præſens cooperatur omnibus, præterquam peccato. Nulla alia re offenditur quàm peccato, aduerſus aliud non indignatur, quàm peccatum, idque modo tam terribili, vt non minus, quàm æterno incendio puniat, cùm eſt mortale. Qui fieri ergo potuit; vt inſurgerem in Deum meum, in Dominum, in Patrem optimum, & in leges ipſius & æquiſſima præcepta? ob fruſtulum pomi Adamum accuſo, & quid hoc, ſi cum meis ſceleribus componatur! Confuſio, deprecatio, propoſitum.

III. *Punctum.* Peccatum mortale incredibilium damnorum cauſa eſt: gratia Dei & illius amicitia nos priuat. Plurimi,

rimi, quod gratiâ alicuius Principis aut hominis excidissent, in summam animi ægritudinem, quin & mortem ipsam incidérunt: & ego qui toties Dei gratiam perdidi, minori dolore commouear! Atque hanc iacturam plura alia detrimenta consequuntur. Priuatur peccator merito sanguinis Iesu Christi, curâ & singulari prouidentiâ, quam Deus gerit iustorum, iure Cæli & gloriæ, felici societate sanctorum, eorundem meritis & suffragijs, tranquillitate Conscientiæ, qua nihil præstantius, denique Deo ipso priuatur, quod damnornm omnium damnosissimum est. Tantis me malis, peccatum mortale inuoluisti! quàm charus Deo nunc essem, quàm me complecteretur, si non inescatus à te, aliò cor meum amandassem! O amabilissime Deus, rogo te, mortem (minus est) infernum volo, potius, quàm vt te mortaliter offendam. Suaues erunt æternæ flammæ, modò te amem, & indulta sint illa, quæ aduersum te commisi.

Col-

Colloquium ad SS. Patronos orando vt dignentur in re tanti momenti adesse misellæ animæ meæ, pro eo affectu, quo me prosequuntur. Oratio, suspiria & protestatio. Pater, Aue.

Recollectio. Electio Tesseræ. Accommoda videtur hęc: *Momentum quod delectat, æternum quod cruciat.* Aut illa Dauidis: *Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum.* Sequitur. Oratio Vocalis aut Officij aut alia: Deinde Sacrum: Tum Lectio spiritualis.

DISSERTATIO MATVTINA.

De annua aut extraordinaria Confessione.

INcredibile quoddam solatium à Confessione generali ritè facta colligitur, quando omnia dicta sunt, singula perspicuè explicata, & totus animæ nostræ status, personæ idoneæ, spiritali & industriæ commissus est. Nequit explicari linguâ, neque calamo describi ea tranquillitas animi, illa interea voluptas, quâ

quâ fruitur is, qui molestum conscientiæ onus deposuit. Noui præcipuæ dignitatis virum, qui, posteaquam similem de tota vita, non optimè traducta, confessionem instituisset, ad quam se magno studio diligentiaque (vti rei momentum exigit) præparauerat, dicere erat solitus: montem videri suis ab humeris semotum, neque quinquaginta annorum spatio, quos in omni deliciarum genere transegerat, se tanta voluptate atque animi lætitia fuisse perfusum, quantam illi ista suorum peccatorum exoneratio attulisset. Hanc autem spiritus tranquillitatẽ illico consequuntur feruentia desideria Deum amandi, & aliam melioremque vitæ rationem instituendi. B. Maria Veneta puella nobilis fuerat, vt quæ maximè, tum ante, tum in matrimonio dedita vanitati. Accidit, vt marito absente & bellis detento, statuerit audiendis Concionibus temperare tædium & mærorem suum; quod ipsi plurimùm, imò summùm profuit: nam ita tactus illius animus est, vt omni-

omninò decreuerit vanitati ſuæ valedicere, ſeque ſeriâ Confeſsione generali expiare; quod & fecit tam generosè talique propoſito, vt à Confeſsione domum regreſſa, conſcenderit in ſuperiorem ædium partem, vbi vniones, catenulas, annulos, ſpecula, cæteraque vanitatis & ſuperbiæ inſtrumenta ita diffregit, vt vſui amplius eſſe non poſſent; cúmque Mater, quæ fortuito acceſſerat, eum mundum muliebrē ſororibus, donec adoleſcerent, ſeruandum fuiſſe affirmaret; ah! inquit, ſorores meæ plus nimio ijs affluent! quod egi, feci eo inſtituto, vt mihi omnem occaſionē præſcinderem repetundarum mearum vanitatum, & primum gradum ſeriæ conuerſionis meæ & ſanctitatis, ad quam contendo, ſolidarem. Quid ad hæc, Hagiophila? credis forſitan à me tantopere genus iſtud Confeſsionis commendari, vt eam tibi modò perſuadeam? minimè iſtud eſt quod à te exigo. Suppono pridem à te generalem factam Confeſsionem, imò eius opinionis ſum, vt ne mentem

tem quidem amplius aduertas, neq; implices cor temporis acti recordatione, nisi vrgens adsit necessitas; qualis foret, si dedita opera peccatum aliquod in Confessionibus particularibus conticuisses, ac deinde in Generali non declarasses numerum, neque species differentes peccatorum lethalium; aut debitum & sufficiens conscientiæ Examen non præmisisses. Absque his rationibus ne cogita quidem de tali Confessione iteranda Reperiuntur nonnulli Confessarij, qui audita semel iterumque aliqua persona, statim hanc illi mentem inijciunt, aut zelo superuacaneo & imprudenti; aut specie imbibendæ notitiæ melioris, vt commodius animas regant; aut alijs de causis, quas ipsi quidem sciunt, sed quas Deus non probat. Si tales tibi ocuurrunt, ne moueare & de labore, quem impensum tibi vellent, gratias habe maximas. Sunt verò etiam nonnullæ animæ sic constitutæ, quæ quotannis, si earum arbitrio res permitteretur, duodecim Confessiones generales

les peragerent, ſingulis menſibus vnam, aut quotieſcunque nouos Confeſſarios nanciſcerentur, ſiue ex tacita quadam, & occulta complacentia vitæ præteritæ, ſiue ex ſcrupulis conſcientiæ ſemper anxiæ, & ne poſt centum quidem eiuſmodi confeſſiones pacandæ, cùm fidem habere nolint ijs, qui prudentiſſimè monent, ne præteritorum recordentur. Caue, ſis ex earum numero, & acquieſce illi gratiæ, quam tibi Deus pręſtitit, vt vnam ſeriam faceres. Quod ſi ſingulari affectu capereris, aut ad animi ſolatium, aut ad maiorem confuſionem & contritionem eliciendam, aut ad alia, quæ Deus tibi ſuggereret, per me licet, itera. Temporis tamen habe rationem, vt exſpectes aut ſingulare aliquod Iubilæũ, aut morbum fatalem, quando pluribus id eſt in vſu, [illegible] quidem pacto, vt ſolùm ea repetas quæ grauiora ſunt, & momenti maioris, neque venias ad iſta minuta, quæ & ægritudini incommodum adferrent, & impedirent deuotionem.

Non eſt igitur Confeſſio generalis,

quam à te poſtulo, ſed annua. Quòd verò in illius commendationem excurrerim, feci vt ſimili ratione tibi annuam & extraordinariam perſuaderem, de qua nunc diſſero, occaſione illius, quam hodie vel cras facere propoſuiſti. Dixi, ſimili ratione, quia fructus maximus & ineffabilis animi lætitia colligitur, ſi fiat ab anno, vel vltima generali, vti oportet. Simul enim atque peracta eſt, tantæ mentem inuadunt voluptates, tam ſeria emendationis & nouæ vitæ deſideria occupant, vt nihil magis luberet, quàm octo diebus in eo ſtatu peractis, ſtatim emori, ne conſueta leuitate in antiquum torporem perfidiamque (cuius adhuc recens eſt dolor) relabamur. Atque hoc adeo verum eſt, vt pro vſu, quem earum rerum habeo, teſtari poſſim, me reperiſſe animas poſt Confeſſionem annuam, ſiue extraordinariam ita contentas, & in talibus melioris vitæ decretis, vt elicerent mihi lacrymas ſolatij teſtes, & vnà tacitos ſenſus ingererent: fore me feliciſſimum, ſi vel ſemel talem confeſſio-

fessionem pari fructu, similibusque affectibus possem peragere. Hagiophila, vti præsagit animus, ab his tua non abludet. Et cùm viribus omnibus commodo tuo studeam, habe quæ in præsentem materiam velim à te considerari, duobus capitibus distincta. Primò. Quid attendendum, vt Confessio annua bene instituatur. Secundò. Qui accidere defectus possint, vt eos deuites. Quantùm ad Examen attinet, etsi huic Dissertationi videatur annecti debuisse, seposui tamen in pomeridianam: duo ista puncta hic sufficient.

Primum facile expediam, cùm satis intelligas, quid requiratur, vt Confessio seu particularis, seu Annua bona validaque sit. Sufficiet igitur, vt de quibusdam moneam, quæ reddere possunt illam perfectiorem & numeris suis magis absolutam. Primò. In ipso Confessionis exordio accusa te de ijs, quæ ab vltima particulari commisisti, tum ad confusionem peculiarem, tum ad euitandam aliquorum astutiam, qui sub terminis

generalibus peccatorum aliàs confesso-
rum suauiter insinuant ea, quæ paucis
ante diebus patrauere: quo modo Con-
fessarijs occasionẽ præscindunt numerũ
& speciem indagandi, quod tamen for-
sitan res exigeret. Secundò. Dic deinde
ea, quæ potissimum conscientiam tuam
cruciant; quæ te in diuino seruitio ma-
ximè præpediunt, & morantur, & quæ,
opinione tua est vitiorum tuorum ori-
go. Ita sufficientem accipiet tui noti-
tiam Pater spiritualis. maximè si eo or-
dinariè vteris, vt nulla futura sit neces-
sitas aperiendi peccata, quæ Confessio-
ne generali aliquando expiasti. Tertiò.
Si aliquid occurrit, quod nunquam es
confessa, idipsum Confessario significa,
vt te circa id interroget, si opus est.
Quartò. Multò magis maturè declaran-
dum est, si fortè in confessione particu-
lari peccatum aliquod silentio pressisses
siue ex verecundia, siue alia quacumque
ratione id accidisset. Hoc enim casu
Confessarius attentior erit ad singula,
vt te iuuet, & satisfiat confessionibus,
quæ

quæ potuerunt esse vitiosæ & inutiles. Quintò. Si Confessario nondum innotuisti, conditio & status vitæ tuæ manifestandus est. Si enim in sæculo es, vnde sciet te esse matrimonio copulatam aut adhuc liberam? si in ordine religioso, vnde coniectabit, professane sis an non? An vis istud onus illi incumbere, vt quotiescumque aperis peccatum aliquod contra votum admissum, te continuò percunctetur, an nouitia sis, an verò feceris professionem? quod fieri etiam necesse foret in quibusdam alijs peccatis, quę specie differunt, grauioraque sunt in vno aliquo, quàm in alio, ob adiunctam obligationem. Sextò. Peccatis tuis etiam venialibus adijce numerũ quantum fieri poterit, vt tanto magis erubescas, si modò numerus frequens est. Septimò. Explica te in omni materia verbis decentibus honestisque, vt castæ aures Confessarij offendi non possint, aut suggeri imaginationes impuræ; vtere tamen talibus, vt te perfectè intelligat. Octauò. Perfice denique tanta

animi tui ſatisfactione hanc Confeſſionem, vt poſt abſolutionem paratiſſima eſſes mortem obire, ſi Deus ita ſtatueret. Verbo, ita perage omnia, quaſi poſtremùm in vita tua confitereris. Atque hæc ad primum caput ſpectant; ſi quid hic deſit, ſupplebit Diſſertatio de confeſſione ordinaria, quam aliàs proponam: nunc iſta ſufficiunt.

Ad alterum progrediamur, de defectibus qui in confeſſione annua poſſunt accidere. Eoſdem fateor committi poſſe in alijs quoque Confeſſionibus: video nihilominus aptiſſimè hoc loco referri, quando nobis propoſitum eſt, per illam ſupplere præcipuos ordinariæ confeſſionis defectus. Primus eſt, quando adferuntur termini generales & ambigui ex quibus Confeſſarius perfectam ſcelerum admiſſorum cognitionem aſſequi non poteſt. Vt ſi dicas: feciſſe te actiones immodeſtas. At quas? fortaſſe inſtar famuli à pedibus, porticum aliquam, aut ad modum cuniculi hortum vel aream percurriſti? forte calceos in-

duens,

ducens, excessisti decentiæ modum? an protuleris obscura & ambigui sensûs verba, quæ ineptas audientibus imaginationes impresserunt? an alium traxeris, tetigeris, percusseris, aut indecoro aliquo gestu læseris castitatem? hæc aliáque similia immodestiæ nomine veniunt. At nonne vides, ita Confessarium assequi non posse, quid velis? Angitur tamen intereà, & si dissimulat, inde est, quòd arbitretur ea à te in confessionibus particularibus esse clariùs explicata. Pari ratione dicet alius, malas se habuisse cogitationes: quid? voluítne naso mutilare Turcarum Imperatorem? an proximo malam crucem & mortem optauit? an consensit inhonestis affectibus? omnia ista malæ cogitationes sunt. Hinc disce melius declarare te, & nominatim dicere actionem, vt eius species, & qualis sit agnoscatur. Secundus defectus est, quando cogitur Confessarius interloqui, & interrogare, eò quòd peccata, non vt oportet, proferantur. Dices habuisse te suspiciones & iudicia

temeraria; non ſufficit. Addendum eſt, an in materia graui, an leui: an deliberatè ita iudicaueris, an inaduertentem ea opinio perſtrinxerit. Accuſabis te, diſtractionibus indulſiſſe, in Officio aut ſacro, ad quod obligabaris: ſi aliud non dicis, vnde diuinabit, fuerintne longæ, an breues; exiguæ an capaces peccati mortalis? Prôh Deum immortalem! quidni ita te explicas, vt ſtatim intelligat, an graui, an leui crimine te obſtrinxeris? an deliberatè, an inaduertenter, aut modica quadam admiſſa negligentia? Tertius eſt, inter confitendum abuti verbis quibuſdam, & modis loquendi, qui affectationem ſapiunt & vanitatem. Iſte ſui amor & complacentia vbique comes eſt, etiam in hoc ſacro Tribnnali. At animo ſimplici accedere oportet, ſéque claris & ſignificantibus terminis explicare. Et optima hîc eloquentia eſt, quam candor & dolor exornat. Quartus eſt, deligere ſibi Confeſſarium, qui nobis aduletur, qui vitia noſtra non carpat, aut cui ſimus ignoti;

cùm

cùm tamen hic ad eum modum nos gerere deberemus, quo in electione medici corporum nostrorum; hunc volumus scientissimum, longo vsu experientiáque probatum, & gnarissimum nostri, nostrarúmque omnium infirmitatum. Tanti profectò anima est, quanti corpus, & aliquantò præstantior. Quintus est, proprio marte sibi formare conscientiam, nimis facilè decernendo non petitâ vllius Auctoris idonei sententia, actionem hanc peccatum non esse, aut non esse lethale, cùm tamen eiusmodi sit; vnde euenit animam aliquando esse mortali peccato infectam, nec ritè confiteri, aut sacram synaxim accedere, exponíque periculo in tali statu moriendi, æternúmque pereundi. Quare consultissimum est, eos audire, qui doctrinâ pollent, qui animarum saluti incumbunt, quíque hoc negotium peritè tractant, non verò sibi fidere, & suis affectibus blandiri, qui sæpe, quod reuera peccatum est, & subinde mortale, rem esse licitam, aut aliàs indifferen-

tem proponunt, Memini, quantum aliàs laborauerim, vt quibusdam hominibus persuaderem, res à tota Theologorum schola peccati damnatas, esse malas, & periculi plenas, neque satis scio, an fidem obtinuerim. Nonne lepidum est, quod creaturæ aliquæ, quæ nunquam studuerunt, nullius rei, quàm garrulitatis sunt peritæ, quæque nullum in Ecclesiâ munus obtinent, agant Doctrices, velíntque resoluere & determinare puncta, soli subiecta iudicio Clauium, quas Deus Ecclesiæ suísque administris concredidit. Si sua illa loquacitate nimiáque fiducia perdiderint nonnullas animas, aut plurimorum scelerum fuerint authores, vide qualem ab ijs, alijsque qui conscientiam sibi fingunt, rationem aliquando exacturus sit supremus Iudex. Hæc hactenus: à meridie, reliqua ad annuam confessionem attinentia, prosequamur.

Si aliam cupis lectionem, lege cap. 9. & 10. & 11. tract 4. primi voluminis, partis tertiæ Rodericij aut 21. & 25. cap. lib. 1. Thomæ de Kempis.

A lectione renoua propoſita tua erga cultum D. Virginis. Non dubito, quin habeas certa honoris & pietatis obſequia quotidie illi exhibenda. Vide hodie, an non officio tuo deſis, aut quid imposterum exhibere velis, decerne. Si ad manum eſt Paradiſus apertus centum deuotionibus erga Deiparam, ne pigeat ictum oculi commodare Libelli Epilogo, Monitóque illi, quod agit de perſeuerantia in cultu Virginis; reperies in vſum tuum opportuna. Aut lege deuotionem quintam, in octauo Purificationis; eáque obfirma animum tuum, ne aliam Matrem velis, quàm Mariam Dei parentem. Hinc ad ſequentem meditationem te para.

II. MEDITATIO.

De conditione Peccatorum venialium, & quanto ea ſtudio declinanda ſunt.

Oratio præparatoria conſueta.

I. P*Ræludium.* Imaginare cymbam, in quam ſe quotidie inſinuant plurimæ guttæ aquæ, vel arenæ granula, à quibus tandem ſic oneratur, vt verſetur in proximo demerſionis periculo. Par ratio animæ eſt, quæ indulget peccatis venialibus.

II. *Prælud.* Roga Deum, vt agnoſcere poſſis detrimenta animæ tuæ à peccatis venialibus illata, & periculum, cui illam expoſuerunt.

I. *Punctum.* Peccata venialia diſplicent Deo, quia ſunt immoderationes quædam voluntariæ ſiue cogitationis, ſiue verbi, ſiue operis contra rationem, contra Dei voluntatem, & præcepta. Et quamuis non adæquent malitiam peccati mortalis, vt tamen ſunt, Deus illa vehementer auerſatur, adeò vt præſtaret

omnes

omnes homines mori, annihilari Angelos, & perire mundũ vniuersum, quàm vnico leui peccato veniali, verbulo aliquo otioso, offendi supremam Maiestatem: cùm minima iniuria Creatoris, & Dei præ malis omnibus, quæ creaturas afficere possunt, magis metuenda sit, & omni conatu impedienda. Vnde consequitur, hæc peccata venialia esse totidem paruas contumelias, paruas iniurias, modicas rebelliones, modicos contemptus diuinæ Maiestatis: qui seriò amat, nullâ in re displicere vult amico. Cur ergo toties Deum meum venialiter offendi? innumeræ sunt eæ paruæ contumeliæ, quibus te lacessiui; nolo ampliùs tibi displicere, nolo ne minimum quidem temnere, ô amabilissime Deus meus! an non satis est, quòd alij peccatores iniuriam tibi inferant, nisi & ego, qui me tui amantem profiteor, contumelias adijciam? ah nimis quàm perfidum es cor meum, cùm metuas ijs displicere, quos in hac vita charos habes, & potueris toties displicere vnicè amabili!

 II.

II. *Punctum*. Peccata venialia sunt diuersi generis, alia leuia sunt, alia grauiora; alia per malitiam, alia per inaduertentiam; alia ex consuetudine, alia ex fragilitate; alia coram hominibus, alia clàm; alia cogitationis, alia operis. O infelicissimum me, qui omnium sum reus! tantò deterius, quòd præ stupore ista vulnera non sentiam, quasi Deus hisce non offenderetur, & quasi non aliquando meritas de ijs pœnas essem daturus, cùm tamen certissimum sit, Deum ista, non solùm in hac vita, per morbos, afflictiones, desolationes, derelictiones, per lapsus in alia peccata venialia, & nonnunquam permittendo, vt in mortale ruatur, verùm etiam in Purgatorio flammis ardentissimis castigare. O charissime Deus, aperi mihi nunc oculos, subueni mihi gratijs tuis, & esto mihi misericors.

III. *Punctum*. Ex peccatis tuis venialibus animæ tuæ constitutionem agnosce. Primò, si ex malitia liberè, & sæpe ea committis, indicium est, miseram ani-

animam tuam in ſtatu verſari periculoſo, & in proxima diſpoſitione peccati mortalis; tandem hydria frangitur, quâ ſæpe aquatum ijſti. Secundò, quando ex inordinato animi affectu venialia grauiora admittuntur; Exempli gratiâ, obtrectare alicui, violare charitatem, non obtemperare, & ſimilia, ex occulto quodam odio, ex peruicacia, item non agnoſcere defectus ſuos, aut eos tanti non facere, vt corrigere quis velit, vel confiteri; malum ſignum eſt, & conditio metuenda. Tertiò, non cohibere peccata venialia, ſed quâuis datâ occaſione illa committere, ſignum eſt, quòd quis nulla profectûs ſui, & perfectionis cupiditate teneatur, cùm hæc requirat, amitti potiùs vitam, quàm vel vnicum deliberatè admitti, & velit eâdem animi fortitudine, minima atque mortalia excludi.

Colloquium ad Spiritum Sanctum. O diuine Conſolator animarum, quid tandem fiet de animâ meâ tot læsâ vulneribus? quâ fronte inter tot imperfe-

ctio-

ctiones dicere se audet sponsam tuam? quo modo in tanta deformitate diligere illam poteris? deprecare, protestare, & ora. Pater, Aue.

Recollectio Meditationis. Visitatio Venenerabilis Sacramenti. Examen. Prandium. Recreatio. Visitatio Venerabilis Sacramanti, & Examen particulare.

Sequitur tempus scriptionis, quam hodie velim te impendere scribendæ Confessioni annuæ, ad illam te disponendo iuxta instructionem in proximè subiecto Examine tibi oblatam, quod erit tibi loco Lectionis, & admissorum peccatorum memoriam refricabit.

DISSERTATIO POMERIDIANA.

Continens Examen ad instituendam Confessionem annuam.

DIssertatio, Hagiophila, quæ vix aliud complectitur, quàm Examen ad annuam tuam Confessionem directum, facilè æquabit Lectionem spiritalem, si noueris fructum hunc colligere, vt memineris omnium tuorum vitiorum, ad Confessionem ritè faciendam.

Vti

Vti verò diuerſas perſonas alloquor, ita non mireris, me tangere plures chordas. Excerpe, quæ tibi propria, cætera alijs relinque. Quòd ſi Methodus hæc & Examen tibi non arrideat, aliunde tibi proſpice, plures libri ſunt, qui hac in re te iuuent; ſed vide, ne illam imiteris, quæ generalem totius vitæ Confeſſionem peractura, omnia genera peccatorum, quæ talis libellus proponebat, nullo adhibito delectu annotauit, neque omiſit deinde coram Confeſſario enunciare, quidquid chartæ mandauerat; illæ qui aliunde perſpectam habebat huius Virginis virtutem, & innocentiam, cùm audiret opinioni ſuæ tam contraria, primùm obſtupeſcere, demum etiam interrogare: feciſſétne illa omnia, de quibus ſe accuſabat? Ah non, inquit, mi Pater, auertat tantum malum Deus! Cur ergo iſta confiteris, ſubiungit Confeſſarius? quia ita in libello meo reperi, inquit, & exiſtimaui ex demiſsione animi, & virtute omnia proferri debere. Quid fieret? proximum fuit, vt lacerato imprudenti

ſche-

ſchediaſmate, ipſa ſua peccata bonâ fide enuntiaret, quod fecit paucis: vitam enim viuebat Angelicam, quam etiam produxit ad annum ætatis quinquageſimum, virginitate ſemper illibatâ, & inſigni opinione ſanctitatis, cuius præmium aliquot abhinc annis in cælo conſecuta eſt. Rem hanc tantò ſecuriùs retuli, quòd ex ipſius ore didicerim. Fortaſsis tamen melius coram te ſiluiſſem, quòd non videaris eius genij, vt vel in Tribunali ſacro, vel alibi plura contra te dicas, quàm feceris. At ſi non tibi, alijs certè prodeſſe poterit, ſaltem vt nihil dicant, quod non rectè intelligunt. Nam negotium mihi fuit aliquando cum nonnullis, qui adferebant terminos, aut repertos in libris, aut ſuggeſtos ab alijs, quorum verum ſenſum non aſſequebantur, vnde eueniebat, vt Confeſſarius hoc, aliud illi intelligerent. Nihil dicere debes, quin ſcias quis ſit, neque amplius quàm feceris. Quod ad me attinet, ſpero me vſurum ijs verbis, & terminis, qui capi ab omnibus poſsint; ad-

addenda tamen fuit hæc monitio pro ijs, qui aliâ quàm nostrâ instructione sunt vsuri. Etiam hoc prædico, Examen futurum satis breue, neque penè alia tacturum peccata quàm venialia: non enim credo te tam esse infelicem, vt mortalibus te obstringas. Si tamen quædam propiùs eò accederent, tantùm dicam, vt eorum possis recordari. Tui muneris erit diligenter attendere, & singulis paululùm immorari, expendendo num in ijs leuiter, an grauiter delinqueris, & quoties proximè, vt deinde annotes, & scribas peccata tua. Ordinis verò mei ratio facilis est, exordior à peccatis contra Deum, contra proximum, contra seipsum; deinde enumero cætera, prout sese offerunt. Incipio:

EXAMEN PRO ANNVA CONFESSIONE.

EXamina te primò circa ea, quæ proximè ad Deum pertinent, & incipe ab exercitijs spiritualibus, sacro Officio, Rosario, Oratione tum vocali, tum men-

mentali, Confeſſione, Communione, Examine conſcientiæ generali, & particulari, quâ ratione omnia peracta ſint: quæ in ijs diſtractiones, longæ, an breues, voluntariæ, an indeliberatæ? quæ in illis omiſſiones, an tempus contraxeris, an ex eorum vſu profeceris, an peregeris ſine ſeria applicatione animi, & ex conſuetudine? Fuítne Confeſsio cum dolore, & emendationis propoſito, ſincera & ſufficienter præparata? Communio habuítne ſuam præparationem, & deinde actionem gratiarum? & Lectio ſpiritualis tempore menſæ, & alibi peracta cum fructu, & attentione? Nihílne neglectum in vſu Indulgentiarum, aquæ luſtralis, inuocationis S. Patroni menſtrui, & annui, Orationum pro ijs, quibus promiſimus, aut quibus debemus? De gratiarum actione poſt cibum ſumptum, de benedictione illum præcedente. De vſu pœnitentiarum publicarum, aut priuatarum, aut in Sacramento Confeſsionis impoſitarum. De Religione erga Auguſtiſsimum Sacramentum,

&Paſsionem Seruatoris, erga Deiparam, Angelum Tutelarem, & alios electos Patronos. De Verbo Dei in Concionibus, aut Exhortationibus, illi non attendendo, dormiendo, fabulando, non adeundo. *D*e modeſtia in templis ſeruanda, per ſilentium, & debitam reuerentiam. De colloquijs in recreatione, & congreſsionibus hominum. De exercitio diuinæ præſentiæ. De matutina oblatione actionum noſtrarũ ad Dei gloriam, & quoties aliquid maioris momenti aggredimur, per diem. De deuotione erga Salutationem Angelicam ad pulſum campanæ, & erga Roſarium quotidianum. De cura dies feſtos maiori feruore, & pietate, quàm feriatos peragendi. De gratitudine erga diuina beneficia, Deo rariùs & tepidiùs gratias referendo. De gloria Deo reddenda, de bonis ſucceſsibus, non verò illam ſibi vanè attribuendo. De fiducia in Deum, in afflictionibus tum animi, tum corporis De refugio ad illum in noſtris neceſsitatibus, & actionibus omnibus, De curioſitate, & dubita-

tione

tione circa res fidei, non ſtatim repellendo. De exiguo zelo in impediendis Dei offenſis, dando noſtra indulgentia & diſsimulatione occaſionem alijs peccandi liberiùs. De repugnantia, & tepiditate in exequendis ſanctis inſpirationibus.

Secundò. Circa defectus aduerſus proximum vide, an non peccaueris eum vilipendendo aut in animo, aut etiam ſignis externis, aut illi adulando, aut nimiùm laudando, aut ſilendo, tum; cùm opportunitas benè de illo loquēdi offerebatur, manifeſtando eius imperfectiones magnas an paruas, publicas an occultas. Calumniando aut iniuriosè accuſando. Multum aut modicum mali illi optando; famæ illius detrahendo, non ſalutando; faſtidiendo, aut contemptim alloquendo, grauibus, aut leuibus imprecationibus illi maledicendo. Congreſſum eius declinando & alloquium. Volendo te leuiter, aut grauiter vindicare de iniurijs tibi illatis, prodendo alijs antipathiam, & animi tui ab illo auer-

ſio-

ſionem, carpendo omnes illius actiones, genus, patriam: verbis amarioribus, & aculeatis illum inuadendo, petendo illum iniurijs, minis, verberibus. Reprehendendo indiſcretè, imperiosè citra authoritatem; exprobrando illi defectus ſuos, & vitia à naturâ inſita; negando illi operam, aut ſubſidium poſtulatum; inuidendo quòd plus aliquid præſtet, magíſque ametur; illum deridendo; illum exempli prauitate offendendo, & ſcandalizando; malè illi conſulendo, eius ſecreta alijs prodendo. Referendo illi, quæ ab alijs dicta ad irritandum; ſeminando inter illum, & alios diſcordiam. Mendacij arguendo, delectando te, dum ſtomachantem vides, neque, cùm poſſes, impediendo. Gaudendo de ipſius infortunio de felicitate dolendo; illius afflictionibus non compatiendo; curiosè indagando, quidquid ad eum ſpectat; ſuſpicando aut temerè iudicando de ipſius actionibus in materia parui, aut magni ponderis, cum firma adhæſione, imò illas ipſas ſuſpiciones, & iudicia alijs ſigni-

ſignificando. Ipſius opera in peiorem partem interpretando, aſtutiæ nomine afficiendo ipſius prudentiam, religionem & pietatem vocando hypocriſim. Clamosè, ægrè & pertinaciter contradicendo. Amando perſonam aliquam, potius vt propenſioni naturali facias ſatis quàm in commodum animæ; priuatis amicitijs indulgendo, neque abſtinendo, etſi eâ re alij offendantur; permittendo quibuſdam (eiuſdem quidem ſexus) aliquos actus familiaritatis, quos præſente Confeſſario, aut bonæ notæ homine non permitteres. Contemnendo Parentes, aut alios, quibus reuerentiam debes: Impendendo te operibus charitatis cum perſonarum acceptione.

Tertiò. In ijs, quæ te contingunt, cogita, an non defuerit tibi in tuis bonis propoſitis conſtantia, maximè quoad ſeruitium Dei. An non fuerint recidiuæ nimis frequentes; triſtitiæ quando res è voto tuo non ſucceſſerunt; ineptæ & nimiæ lætitiæ nullâ vel vana de cauſa; indignationes internæ; oſtentationes in

ver-

verbis; laudes tuiipſius, Parentum, & aliorum ad te ſpectantium; puſillanimitas in virtute proſequenda; nimia cura, & ſtudium comodorum corporis; amor nimius tui; fuga mortificationum; vana complacentia in donis, & talentis tuis naturalibus, aut ſupernaturalibus; excuſationes in peccatis mendacia in colloquijs; verba otioſa, & inutilia; cogitationes vanæ, impatientiæ, immoderati erga rem aliquam affectus; amor inordinatus, continuò rem amatam menti obijciens; euagatio animi in creaturas effuſi; ſimultates, cupiditates vindictæ, præteritorum ſcelerum complacentia; actiones vanæ gloriæ, aut ad tui æſtimationem & amorem directæ; præſumptio & nimia tui fiducia ad res benè gerendas, ſi adhibereris. Pigritia, nimius ſomni vſus, aut intempeſtiuus; tempus otio perditum, aut malè impenſum; ingratitudo in Deum, & homines; ambitio, & appetitus honorum, & officiorum, Repugnantia ad benefaciendum, aut ad emendationem, etiam cùm moneris;

neris; facilior lapsus in peccatum, eò quòd aliàs id admiseris, aut quòd cogites eâdem operâ etiam istud confessione expiandum; neglectus pœnitentiarum tùm ex obligatione subeundarum, tùm ex deuotione assumendarum; propositum non confitendi quædam venialia, eò quòd corrigere illa nolis; destructio valetudinis, nimium sensualitati indulgendo: nimia rerum nouarum curiositas, vt nihil te domi forísque lateat; Lectio lbrorum inutilium, iocosorum, periculosorum, & similium, qui animum dissipant, & aliquando species minus honestas menti suggerunt; credulitas somnijs & diuinationibus adhibita; hypocrisis virtutem simulans; pertinacia tui sensûs, & proprij iudicij; immodestia in incessu, risu, clamore, sermone, aspectu; delectatio in audiendis obtrectationibus; vanitas in habitu, ornatúque; prudentia carnis, & sæculi; dissimulationes, vtendo in conuersatione verbis æquiuocis, ambiguis; aulicismis, & vanis officiorum delationibus. Agendorum

dorum cura, aut nimijs negotijs te implicando, aut ſuſcipiendo ea, quæ à vocatione tua ſunt aliena, aut laboribus te eximendo ſub prætextu ſeu ſanitatis, ſeu imbecillitatis, niſi ſint ſpecioſi, & honorifici. Contemptus virtutis, & virtuti ſtudentium; eos ſimplicitatis aut hypocriſis arguendo, qui plura præſtant officia charitatis, quíque ad omnia ſunt promptiſſimi; eos etiam aſperiùs alloquendo, carpendóque tanquam nimis faciles, & credulos. Arrogantia: nolendo ſequi, nec petere aliorum conſilia in rebus dubijs, neque patienter audiendo monitiones tuorum Confeſſariorum, Superiorum, Concionatorum, alijs non cedendo, téque ijs meliorem reputando & digniorem. Gula: Intempeſtiuè edendo, aut vt appetitui tuo ſatisfacias, aut ne minùs facias quàm cæteri; quærendo cibos peculiares, ſpecie quidem valetudinis, cùm reuerà aliud non ſit, quàm cura cuticulæ; effundendo te in cibos, eóſque tantâ auiditate ſumendo, vt neque lectioni, neque ſermoni at-

tendas; conquerendo etiam, si quid palato tuo non arrideat. Libertas periculosa; nihil sensibus negando, viuendo ad arbitrium quasi nullæ tibi regulæ præscriptæ forent; repetendo morem viuendi antiquum, & sæcularem; separando te à communitate ex pertinacia, vel quòd ita lubeat, aut ex affectu aliquo singularitatis.

Quartò. Circa Castitatem considera, an non dederis aliquam occasionem istis turpibus somnijs istis miserijs, & illusionibus nocturnis, quæ subinde dormienti accidunt; & an euigilans aliquam delectationem, & consensum non adhibueris. An custodieris ita oculos, vt nihil lasciuum, nihil nudum præter manus, & faciem, siue in alijs, siue in te videris. An ab obscœnis imaginibus, à vultibus formosis, alijsque obiectis, quæ ad incontinentiam alliciunt, & impuras cogitationes, & motus periculosos generant, auerteris? An non commiseris, aut permiseris actum aliquem indecorum, & huic virtuti contrarium siue te-

cum,

cum, siue cum alia persona, & quâ intentione, cùm nulla bona sit, nisi quæ est necessitatis. An non facilè vultum, caput, manus alterius contrectaueris, & an id ex leuitate, an verò ex voluptate. An non blandiori quâdam agendi ratione, alios in tui amorem excitare volueris. An non minùs casto, & nimis ardenti affectu dilexeris aliquam creaturam, illam pascendo verbis mollibus & amatorijs, muneribus, litteris, nimiâ familiaritate, eáque priuata, continuò de illa cogitans. An diligenter cogitationes inhonestas repuleris, & tentationum occasiones vitaueris. An verba protuleris minùs casta, eáque libenter audieris ab alijs. An non habeas turpes libros, an eos legeris, turpia cecineris, aut cum voluptate attenderis alijs legentibus, aut cantantibus ea, quæ puritati, & decoro aduersabantur.

Quintò. Quod ad obedientiam attinet, si in statu es Religioso, reuoca in mentem, an promptè sine oblocutione & murmure obedíueris. An non volun-

tatem Superioris pertraxeris in tuam. An non malè de illo sis locuta, an debitam reuerentiam ei detuleris, cùm Dei loco te regat. An non declinaueris illius occursum, vel ad fouendam auersionem tuam ab illo, vel ne tibi aliquid mandaret. An candidè patefeceris illi omnia, quæ scire illum oportebat. An eum non contristaueris tuâ agendi ratione, peruicaciâ, murmurationibus, dictis aculeatis, repulsâ aut obtemperandi difficultate, aut similibus superbiæ & inobedientiæ actionibus.

Sextò. Superest paupertas, si eius voto teneris. Nihílne accepisti, dedisti, commodâsti sine facultate? nihil habes in cubiculo, aut alibi superfluum? an non satagis, vt optima ad vsus tuos concedantur? an ea, quorum vsus tibi permissus est, benè conseruaris, an rem domesticam prodegeris, corruperis, & malè impenderis? an non immoderato affectu adhærescis rei alicui, ita vt ægrè illa tibi eriperetur? nihílne habes reconditum, ne reperiat Superior? nihílne

ne eſt, quod tibi proprium facis, ſiue pecunia, ſiue aliud aliquid in cubiculo, aut alibi ſine facultate & ſcitu Superioris?

Septimò. Adde his omnibus examen circa Regulas tuas, ſi es in Religione, aut Societate, Congregatione, Confraternitate: circa officium tuum, ſtatum & conditionem; circa præcepta Dei, & Eccleſiæ, caſu quo in ijs deliqueris. Hæc enim omnia vbi ſtudioſè perpenſa diſcuſſáque fuerint, maximè ſi acceſſerit etiam inſpectio eorum Examinum, quæ circa virtutes, & tria vota hîc in ſingulos dies addidi, dubitari non debet, quin anima, quæ aliquo Dei timore tangitur, inueniat ſibi factum ſatis, vt bonam integrámque Confeſſionem annuam inſtituat, Amen.

Confeſſione iuxta hanc diſſertationem parata, & deſcripta, ſi tempus adhuc Lectioni ſuppetit, lege cap. 8. & 9. tract. 7. vol. 2. Part. 1. Roderici, aut cap. 24. lib. 1. & c. 5. & 6. lib. 2. de Imitatione Chriſti.

Sequitur Examen circa charitatem proximi, quod eodem modo inſtitues, quo heſternum hâc eâdem horâ.

EXAMEN DE AMORE ET Charitate proximis impendenda.

EN tibi nunc quindenas notas sinceri amoris erga proximum.

Primò. *Illum diligere sicut seipsum.* Secundò. *Nihil illi facere, nisi quod velimus nobis fieri.* Tertiò. *Gaudere de omni illius felicitate, & commodo.* Quartò. *Illius incommodis & aduersis addolere.* Quintò. *Non offendere, neque vlla, vel minima molestia afficere.* Sextò. *Nullo indicio seu absentem, seu præsentem vilipendere.* Septimò. *Nunquam illum reprehendere, nisi id muneris nostri ratio postulet.* Octauò. *Nullum illi denegare subsidium consentaneum rationi.* Nonò. *Vitia illius excusare.* Decimò. *Illi non obloqui contentiosè.* Vndecimò. *Cordatè, & ingenuè cum illo agere.* Duodecimò. *Tolerare ipsius defectus, & imperfectiones.* Decimò tertiò. *Honore, & officijs humanitatis illum præuenire.* Decimò quartò. *Non inuidere, sed illius laudibus oblectari.* Decimò quintò.

Pa-

Patienter ſuſtinere, quidquid nobis moleſtiæ intulerit.

Hagiophila, hinc arbitrare, num proximum diligas: ægrè primam, & vltimam notam in te reperies: ſed ne deiecto ſis animo, & has & alias ſufficere poteſt Deus, quando promptam reperit voluntatem, qualem tuam eſſe non diffido. Nunc erubeſce, quòd tam parum inſtructa ſis vero proximi amore, & ſtatue peculiari ſtudio deinceps ill incumbere.

Examen excipit Oratio vocalis, aut Officij, aut alia, hanc ſequitur conſideratio.

CONSIDERATIO.

I. OMnis Theologia conſentit, nullum eſſe dolorem tam acerbum, nullam tam moleſtam ægritudinem, nullum tormentum neque rotæ, neque ignis, neq; plumbi liquati, aut aliud, eſſe tam terribile, vt maiora non mereatur etiam vnum peccatum veniale. Cur iſtud igitur non expendo, qui tam facilè in ea peccata labor, quíque tam ægrè in-

ducor ad pœnitentias, delendis & expiandis vitę præteritę peccatis necessarias.

II. Ah! qui animo assequeretur, quantùm Deo displiceat minimùm peccatum veniale, quàm se studiosè contineret! exigua Dauidis Regis vanitas, quâ subditorum numerum iniri iusserat, trium dierum pestilentiâ, & iactura septuaginta millium hominum castigata fuit. Post hæc ausim ego aliquando me permittere vanitati, aut minimo veniali peccato indulgere?

III. O Deus! quàm immeritò querimur de aduersis, quæ sustinemus, quæque Deus nobis immittit, si aduertamus animum ad scelera, quæ perpetrauimus, & ad pœnas, quæ ista promerentur. Etiamsi non admisissemus nisi peccatum vnicum, diuina Maiestas (quæ eo læditur) tanti est, vt omnes totius Mundi cruciatus præstandæ satisfactioni legitimæ non sufficiant. Irruat igitur in me, quidquid durum, quidquid asperum, non querar, quin vbique & semper profitebor me duriora, asperioráq; mereri.

IV. Fer-

IV. Fertur diuina bonitas visâ nostrorum peccatorum, etiam venialium, multitudine, plurimum remittere de amore erga nos suo; & protectionis suæ, & auxiliorum gratiam subtrahere, quâ deficiente pronissimus in ruinam & lethale peccatum est lapsus. Heu! & istud mihi infortunium, æternæque damnationis periculum accidere posset propter insignem illam licentiam, quâ minutis istis me noxis obruo. Mortem, ô amantissime Deus, mortem ipsam flagito, aut verò gratiam, quâ à vitijs istis venialibus sim immunis.

V. O quanta harum animarum felicitas, quæ cælum incolunt! nullo vnquam scelere offendunt Deum. O quàm illas vel inde complector, quòd æternùm cælo excludi mallent, eâque affluentiâ, & magnitudine gloriæ, quâ fruuntur, priuari, quin & præcipitari in æternos inferorum cruciatus, aut annihilari, quàm minimam venialem noxam committere Is modus est, quo viuere deinceps desidero, & eligere infernum,

& in nihilum meũ reuerti potiùs quàm peccare.

VI. Verè dictum olim à S. Catharina Genuensi, quòd si homo cognosceret, quando dignum odio, fugáque esset peccatum vel vnicum, existere mallet in ardenti fornace, ibíque viuus consumi, quàm illud admittere; & si totum mare foret igneum, potiùs in illud ad fundum vsque se demergeret, neque vnquam enataret, si crederet sibi emersuro obuium fore peccatum, eóque se contaminandum. Nihil illo verius, cùm nihil in Mundo præter peccatum, & offensionem Dei timeri debeat: si scirent istud homines, & ego, vt par est, istud apprehenderem, in alium sanè virum ab eo qui sum, euaderem, & omnes sancti essemus.

Adest hora relaxationis: Deinde Officij aut orationis vocalis, tum visitandi Venerabile, denique præparandi sequentem Meditationem.

III. MEDITATIO.

De fructibus veræ Pœnitentiæ.

Oratio præparatoria vt aliàs.

P*Rælud.* I. Propone tibi ob oculos S. Ioannem Baptiſtam alta voce clamantem: facite fructus dignos pœnitentiæ; & quidem hæc tibi denunciari cogita, cùm maximè ex vſu tuo ſint.

Prælud. II. Pete à Deo peculiare ſubſidium, quo poſſis penetrare hos fructus, & vt eoſdem in anima tua, producere, & conſeruare dignetur.

I. *Punctum.* Inſignis pœnitentiæ fructus eſt, contritio & dolor habitualis de offenſo Deo, quem ſi tota vita continues, ſic vt paſſim in actum erumpat, indicio eſt, fructum eſſe maturum. Conſidera varijs id modis fieri poſſe, eiuſque exercitium eſſe vtiliſſimum. Recordor me Deum offendiſſe, & quid vetat, ne ſuſpiriolum, ne oculos in cælum dirigam, ne leui pugno contingam pectus? quid prohibet, ne ſubmiſſa, aut etiã elata, ſi ſine arbitris ſum, voce con-

tester : Deus meus propitius esto mihi peccatori ; delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineris Domine ? O dulcissime, mallem mortuus esse, quàm te offendisse ? Statue igitur vti simili exercitio, sine quo nulla tibi dies abeat ; & iam nunc incipe iuxta instinctum Spiritus Sancti. En actum perfectæ Contritionis, quo nunc & aliàs vti poteris : Dulcissime Iesu, vere Deus & Homo, diligo te ex toto corde meo, & quia infinitè bonus es, detestor & execror omnia peccata mea supra quidquid detestabile & execrabile est, & propono me nunquam amplius te offensurum, succurrente gratia tua & meritis mortis & Passionis tuæ, in quarum vnione offero tibi omnes actiones meas, Amen.

II. *Punctum.* Alter fructus pœnitentiæ satisfactio est, cui idcirco danda opera, quòd in domo Dei omnia persoluantur seriùs aut ociùs. Et verò præstat, vt nos ipsi soluamus Deo, dum viuimus, quàm vt in Purgatorio tradamur

mur tortoribus infernalibus, donec de nouissimo quadrante satisfiat. Statuam igitur & decernam pœnitentias, quibus tota vita constanter vti volò delendis tum præsentibus peccatis, tum præteritis: in hebdomade vel mense tot disciplinas, toties cilicium, toties ieiunium, toties abstinentiam, & alia, ad quæ me Deus stimulabit, & quæ non negligam nisi coactus aduersa valetudine. Confusio ob præteritam ignauiam. O anima mea! quis sensus Dei tui & sanctorum, qui vident tam parum te ad hæc attendisse, tam nihil te motam consideratione talium flammarum Purgantium? inauditus hactenus tepor tuus est. Centum anni Purgatorij, & suppliciorum, & aspectus dæmonum, & ardentium flammarum tibi minimùm debentur, neque commoueris? ô Deus misericordiarum, quid tandem erit de me? loco castigationum, quas corpori deberem, blanditijs illud mulceo, & omnes patiendi occasiones declino. Largire mihi, Deus meus, cor aliquod Dauidis contritum

tritum & humiliatum, da cor Magdalenæ, quod triginta annis egit pœnitentiam: Hic vre, hic ſeca, modò in æternum parcas

III. *Punctum.* Excellens etiam eſt fructus pœnitentiæ, horror peccati præſertim mortalis, & metus vel leuiſſima offenſione Deum prouocandi. Plurima me ad hunc timorem inſtigant, ac imprimis inconſtans naturæ noſtræ conditio; tot præclari viri poſt tam ſingulares conuerſiones & pœnitentias, poſt tam ſeria bene viuendi propoſita, poſt tot illuſtrationes animi, poſt exercitationes ſpirituales tam accuratè obitas, tandem defecere, & fortaſſis periere: ipſe ego ſæpius mores mutaui; adeò vt qui totos quinquaginta annos diuino ſeruitio impendiſſet, nullam ſibi ſecuritatem poſſet polliceri, & ego ea ætate iuuenis non metuā? maximis præditi virtutibus deficere poſſunt, quid ego, qui nullam habeo, aut admodum exiguam? Angelus ſimili carne, parique naturæ genio indutus timeret: & ego conſcius

rebel-

rebellionis & violentiæ, qua me caro lacessit, cuius indoles mutabilis, ſuperba, & impatiens, non verebor? quid ſcio, qualis mea poſt annum, poſt decenniũ, ſi eo vita prorogetur, futura ſit voluntas? ſuſpectam igitur anima mea habe inconſtantiam tuam, & relapſum, & ruinam time. O Saluator animæ meæ! moriar nunc; ſi periculum eſt, vt aliquando te deſeram, aut ab hiſce propoſitis meis diſcedam. Permittite, aiebat B. Aloyſius Gonzaga morti proximus, & viginti quinque tantum annos natus permittite, vt moriar; ſi enim vixero diutius, quid de me futurum ſit, ignoro. Ita omnino forſitan ſatius tibi eſſet, ô anima, vt hinc diſcederes ociſſimè, quàm vt vitam longiùs trahendo, degeneres in deteriora.

Colloquium ad tres Perſonas Auguſtiſſimæ Trinitatis, quæ imutabiles ſunt, & conſtantes in amore & decretis ſuis. Vtinam eas æmularer! vtinam de conſtantia, veræ pœnitentiæ comite, forem ſecura! dabis mihi illam, ô adoranda

Tri-

Trinitas: hâc ipsâ viuo, & ſic mori ſpero, Pater, Aue.

Recollectio Meditationis. Lectio Thomæ de Kempis, temere libro aperto. Roſarium. Viſitatio Venerabilis Sacramenti, Cæna, Recreatio, Litaniæ SS. Viſitatio Venerab. Sacramenti. Præparatio Meditationis in ſequentem diem. Examen. Quies: ſed memineris prius à B. Virgine petere benedictionem obuertendo te, ad aliquam eius ſacram ædem. Fuit hæc olim Religio B. Stanislai Koſtkæ Tyronis in Societate noſtrâ, quam tu imitaberis, vt tantò ſecuriùs dormias. *Quidquid enim B. Virgo benedixerit, erit benedictum.*

Maledictus homo, qui facit opus DEI negligenter. III



TERTIVS DIES.

De miserijs vitæ tepidæ, & in seruitio diuino languentis.

ORigo peccatorum nostrorum maximè prouenit ex languore spirituali, & ex tepiditate negligentiaque, quâ Deo seruimus. Illam igitur meritissimo iure oppugnabimus hodie, & sic indagabimus calamitates, quibus animam nostram depopulatur, vt eam reliquo vitæ tempore velimus exclusissimam.

More tuo adi Venerabile Sacramentnm; inde ad Meditationem hanc te dispone.

MEDITATIO I.

De miserijs & damnis vitæ tepidæ.

Oratio præparatoria vt aliàs.

I. PRælud. Statue te in conspectu Dei, veluti hominem, cuius membra omnia inutilia sint, sine auribus, sine naso, sine labijs, corpore toto vlceribus & plagis operto, ita tamen vt nulla letha-

lis

lis ſit. Talis proximè conditio eſt animæ, plurimis defectibus, & tepiditati ſubiectæ.

II. *Prælud.* Ora Deum, vt videre poſſis, an talis conditio ſit animæ tuæ.

I. *Punctum.* Infelix eſt vita tepida in Dei ſeruitio, quòd Deum prouocet ad faſtidium, nauſeam, & indignationem aduersùs animas torpentes, vſque eò, vt parum abſit ab illo vomitu, de quo Scriptura loquitur, plane quaſi obnoxius illi eſſet, & ad inſtar eius, qui potâ aquâ tepidâ, vix vomitum cohiberet: *Quia tepidus es*, inquit, *ego incipiam te euomere ex ore meo.* Vt vt eſt, ſtatus hic plurimum Deo diſplicet, & maxima damna inducit. Primò hebetat ſplendorem & pulcritudinem Communitatis Deo ſeruientis. Vnus tepidus ſufficit ad turbandã dedecorandamque domum integram; Par inſolenti Militi, qui ordinem militarem diſſoluit; ſimilis amico perfido, Filio inobedienti, ſponſæ infideli. Secundò anima tepida prorſus ingrata eſt, malum bono rependit, & amori iniuriam. Tertiò

tiò à communitate benignas prouidentiæ diuinæ diſpoſitiones auertit, & fontem donorum cæleſtium, tum ſpiritualium, tum temporalium obſtruit. Quartò ſemper diuinis inſpirationibus reſiſtit. Quintò valetudine corporis, quam Deus ad feruenter ſibi ſeruiendum impertit, abutitur. Sextò decipit eos, qui ſiue in cælo, ſiue in terris mira à nobis ſperant & exſpectant. Quid tibi videtur anima mea, nonne examuſſim hiſce coloribus depicta es, & vti vixiſti, expreſſa? verbo tantum opus eſt. Dic Duci tuo, Patri & ſponſo tuo, quid impoſterum? vt vel præteritas negligentias tibi indulgeat, vel omnino te deſtituat, indignam tali Principe, tali Patre, & ſponſo tali, quem nihil delectat, niſi feruor, & alacritas bonæ vitæ.

II. *Punctum.* Tepidus iniuriam facit Eccleſiæ, & ijs quibuſcum viuit Primò alter aliquis, millies melius ageret quàm ego: cur igitur locum illius occupo & abſumo panem eius, qui eſſet feruens? Secundò, Vana ſunt omnia auxilia, quæ

Deus

Deus largitur per Sacramenta Confessionis & Communionis, per pœnitentias, per lectiones & colloquia spiritualia, per adhortationes, per Exercitia: frustra his omnibus tempus teritur. Tertiò. Communitas, in qua viuo, magnum famæ, & existimationis patitur detrimentum: cùm enim ex toto habitu corporis mei, ex verbis, & actionibus meis appareat tepiditas, facilè de Sodalibus meis concipitur eadem opinio. Quartò. Tantundem alij meo abrepti exemplo faciunt, facientque, & dicent, ista olim in me fuisse dissimulata & tolerata. Quintò. Non sit vllus processus ad virtutem, sed potius regressus, cùm in domo Dei non progredi, regredi sit. Sextò. Tandem obduratur cor, neque amplius aduertit ad conscientiæ morsus, quos pridem neglexerat, vt nihil iam propius sit, quàm ruina in grauem aliquam noxam.

III. *Punctum.* Vita tepida est febris hectica, qua, qui laborat, dũ credit plurimum adhuc vitæ superesse; ita paulatim

tim consumitur, vt subitò extinguatur: vnde tepido idem inculcari potest, quod Angelus cuidam in Apocalypsi obijcit: Dicis quod Diues sis, & locupletatus, & nullius egeas; & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & cæcus, & nudus. Nomen habes, quòd viuas, & es mortuus. Mortuus! ô Deus meus, quid erit de me? en paratissimus sum, ad omnia deinceps feruenter peragenda.

Colloq: ad sanctos, quos meminero in vita sua feruentes fuisse. Pater, Aue.

Recollectio. Electio Tesseræ. Idonea hodie videtur hæc: ***Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.*** **Aut ista S. Gregorij:** ***Dominus vigilat iustis, dormit tepidis.***

Deinde Oratio vocalis, aut Officium, Sacrum, Spiritualis Lectio.

DISSERTATIO MATVTINA.

De Confessione ordinaria, quæ hebdomatim, aut frequentiùs instituitur.

ABripior stupore, Hagiophila, quoties mecum reputo, tot personas, quæ

quæ siue in Religione, siue in sæculo, virtutis & deuotionis studium profitentur, cùm progredi maximè deberent, turpissimè retro ferri, & vitam in Dei seruitio ducere penitus tepidam, segnem & ignauam; ita vt pluribus annis hoc pacto decursis, sint imperfectiores, minus deditæ pietatis exercitijs, quàm ipso Conuersionis exordio; quin & vitijs scateant crebrioribus, & grauioribus, magisque periculosis. Sæpe causam huius indagaui curiosiùs, & postquam versaui animo plurima, non reperio aliam, quantùm ego quidem iudico, solidiorem, quàm à frequenti vsu Sacramentorum, sine debita animi dispositione. Itur enim ad Confessionem, ad Communionem ex more quodam, ex consuetudine, & defunctoriè, animo non præparato, sine feruore, & sine serio (quod tamen requireretur) emendationis proposito: vnde accidit, vt Sacramenta, quæ non operantur nisi iuxta dispositionem suscipientis, careant effectu suo, hominemque relinquant ijsdem vi-

tijs

tijs obnoxium, & immersum: eadem semper in Confessione proferuntur, & in peiora prolabimur, eodem frigore, & ariditate Cōmunicamus, & è malo ruimus in deterius vbi è contrario, si accederemus, vti par est, eas reciperemus gratias, quæ bonæ dispositioni admensurantur, & singulari fortitudine roboraremur aduersus vitia & peccata, quorum seriam Deo generosamque promiseramus emendationem.

Quamobrem dissertationem hanc accōmodo Confessioni ordinariæ: quandoquidē ea, si male instituitur, sit ignauiæ nostræ, & tepidæ vitæ, quam hodie impugnamus, origo. Alibi de Communione loquemur, decimo nimirum die, quando de religione erga diuinissimum Sacramentum disserere proposui Obuia tamen Confessionis fundamenta nō attingo: suppono enim ab ijs satis instructam Hagiophilam meam, neque ignorare quid huic Sacramento essentiale sit. Neque etiam dubito, quin adhuc eorum meminerit, quæ de Confes-

ſione annua, huc referenda, diſceptaui. Verſor hic circa conditiones, quas habere neceſſe eſt Confeſſionē illam, quæ octonis diebus, aut etiam ſæpiùs inſtituitur, prout quemque deuotio ad vſum huius Sacramenti exſtimulat. Varius enim, etiam apud Sanctos, fuit. S. Epictetus, non niſi ſemel in hebdomade fieri volebat. S. Catharina Senenſis, S. Birgitta, S. Carolus Borromæus, & S. Patriarcha noſter Ignatius quotidie vſurpabant; vtcumque libuerit, ego eas qualitates proponā, quas arbitror eſſe conſideratione digniſsimas: ad decadem omnes reuoco, & ex occaſione dico, quidquid attendi debet, ne erretur, & quid obſeruandum ſit, vt bene & cum fructu peragatur. Ordiamur à præparatione.

I. *Præparanda* eſt non ſolùm quotidianis Conſcientiæ examinibus, vbi defectus annotantur, & eo, quod prius paulò, quàm Sacerdoti nos ſiſtamus, inſtituitur, quando præuidemus ea, quæ nobis dicenda ſunt; verùm etiam, idque

præ-

præcipua quadam ratione, per actum doloris, & boni propoſiti, peccatorum Confeſſioni præmittendum: quod commendare ſatis non poſſum, cùm ſciam ſubinde grauiter hic delinqui etiam à viris probis, qui iſtud Sacramentum, ſine actu contritionis, aut attritionis accedunt: fatebuntur quidem omnia, verùm defectu doloris ſufficientis, ſiue omiſſo motiuo contritionis, aut attritionis, & quia deeſt vitæ emendandæ propoſitũ, eorum Confeſſio erit nulla, quin & inſigni ſacrilegio, mortalique crimine vitiata, iuxta rationem admiſſæ neglıgentiæ: accedit huic Cõmunio, aliæque deinceps eodem fortaſſis pacto inſtitutæ Confeſſiones, & proinde miſerrimus animæ ſtatus: è quo non emergitur, niſi tempore Confeſſionis annuæ, quando accuratiùs omnia diſcutiuntur. Vt verò hic tibi aperiã, quod ſit Contritionis, quod Attritionis motiuum, quin iam ſcias, nullus dubito: quiſquis contritus eſt, dolet ſe Deum offendiſſe ob eius bonitatem & amorem; qui autem

est Attritus, etiam dolet, sed ob peccati fœditatem, & ratione pœnarum sibi impendentium. Dixi, alterutrum horum actuum esse Confessioni præmittendũ, gratia securitatis; quia illum differre velle, donec aut Sacerdos te adhortetur, aut absoluat, periculo te exponis, aut vt illius non sis memor, aut ne otium desit illi vacandi: cùm animus alibi distineri possit, siue an dixeris omnia, siue in recolenda pœnitentia tibi à Sacerdote imposita, siue alia quacumque re. Quando verò actus ille præcessit, iam extra solicitudinem es, & discrimen sacrilegæ Confessionis: & in potestate tua est, eundem in fine iterandi, si opportunitas & otium sese offerat.

II. *Sit vtilis & proficua.* Nunquam enim adire debemus ad Confessionem, quin peccatum aliquod deponamus; etsi enim optima sumus voluntate emendandi omnia, tamẽ eò potissimùm conniti debemus, vt ab vno aliquo peculiariter expediamur, cui deinde post Confessionem studiosiùs intenti, omnes relaben-

labendi occaſiones euitemus. Atque in eo noſtrarum Confeſſionum fructus exiſtit; nam, vt corrigamus omnia, difficile eſt: miſeri peccatores ſumus, innumeris lapſibus obnoxij: ea tamen animi magnitudine, & propoſiti firmitate eſſe poſſumus, vt ſuperemus illud, quod nobis præfixerimus peccatum, aut penitus non admittendo, aut quàm anteà, rariùs, aut ſaltem minori deliberatione, malitiáque; quod maximum ſanè erit emolumentum: fiétq; vt inter pauculos annos, quin & menſes, multam de peruerſis noſtris habitibus, & malâ naturæ propenſione victoriam reportemus.

III. *Animoſa.* Ipſo ſtatim exordio dicendo id, quod acriùs grauat conſcientiam, & cuius nos præcipuè pudet, idque non tantùm noſtro ordinario Confeſſori, verùm etiam illi, qui eius locum occupauerit, ſi fortaſſe contingat alterum abſentem eſſe, aut ægritudine impeditum; memores, quòd quicumque nos audierit, Dei vices gerat. Quo in genere nonnulli deficiunt, quibus tam ægrè eſt,

vt alteri confiteantur, vt vel aliqua subticeant cum periculo sacrilegij, vel sui reditum Confessarij præstolantes, malint se confessione Communionéq; priuare. Qui profectò defectus non leues sunt in ijs, qui virtutem vitámque spiritalem videntur profiteri: multúmque abeunt ab imitatione B. Mariæ Venetæ, quæ sui Confessarij absentiam æquissimo animo tolerabat. Consultissimum quidem est, eodem vti Confessario: verùm si casus aliquis accidat, quo mutare cogamur, generosè id faciendum est, & cogitandum, Confessarios omnes Diuini numinis esse Vicarios, neque graui culpâ vacaturos, si propter illorum æmulationem aut imprudentiam, libertas nobis demeretur alteri confitendi.

IV. *Breuis*. Quia non omnia peccata venialia dicenda sunt, neque eo esse decreto debemus, vt ne vnicum quidem omittamus: sic enim nullum reperiremus dicendi finem, vsque adeò fragiles sumus. Sufficit pandi nonnulla, præcipuáque, cæteris diuinæ misericordiæ com-

commissis, aut in Confessionem annuam dilatis. Neque etiam ad eum modum peccata referenda sunt, quo narrari historiæ solent, plenè omnia minutímque recensendo; aut certis quibusdam dicendi formulis, more eorum, qui reliquias publicè ostendunt, à quibus si vel minimùm aberrasses, credas te irritam fecisse Confessionem: cuius adeò genij reperiuntur homines, vt ad alium se Sacerdotem conferant, qui talibus historijs, & narrationibus patientes aures accommodet. Cauendum prætereà est, ne talia dicantur, quæ vsum alium non habent, quàm vt Confessariũ reddant sollicitum, vt materiam conferendæ absolutioni reperiat. Erunt, qui dicent: non amaui Deum, quemadmodum decuit; non oraui, vti debui; charitatem non exercui, quantùm oportuisset, & alia lyræ similis, quæ aliò non spectant, quàm vt Confessio protrahatur, aut vt impatientiâ vexetur Confessarius, & illi, qui post te confessuri sunt. Dic solidum aliquid, hoc est, aliquid factum malè, &

ſpecie benè expreſſa, & mitte inutiles illas Litanias, vt Confeſſio tua breuis ſit, & ſine faſtidio. Nihilominus quando exigo, vt ſit breuis, non intelligo talem eſſe debere, vt tibi non ſatisfacias, neque animus tuus plenè Confeſſario tuo perſpectus ſit: ad hoc inſtituta Confeſſio eſt, & ſi quiſquam ſeſe opponeret, meo nomine ſignifica, nefas eſſe, quamuis ipſe tuus Confeſſarius foret: munus ipſius eſt, audire te debet, modò dicas ſolida (neque eandem cantilenam perpetuò recantes, aut iſta, de quibus ſæpe monita es, vt in cogitationem amplius non admittas) faciáſque ea, quæ fieri oportet. Quòd ſi pœnitentibus alijs te ſecuturis tua Confeſſio non ſatis breuis eſſe videatur, quod volent, dicant, modò tu tibi in re tanti momenti ſatisfeceris, quid curas? dic, vt patientiam habeant; te illis non aduerſari, cùm lentè placidéque ſumunt cibum: velle te ſpiritale iſtud alimentum capere cum otio, properare te hîc non poſſe. Iſta mihi reuocant in memoriam domos quaſdam Religioſarum diuerſi

Ordi-

Ordinis, in quibus quæcumque breuissimè confessionem absoluebat, maximè egregia habebatur; quæ diutissimè, pungebatur potissimum, vexabatúrq; à Reuerendis scilicet matribus, & charissimis sororibus. Ita vsuueniebat, vt plures non omnia, neque integrè confiterentur. Quod idcirco affirmare possum, quia nonnullæ me rogarunt, vt huius rei querimoniam apud eos, ad quos spectabat, deponerem, emendarémque. Quod feci, & cum diuina gratia faciam hoc scripto, vbi demonstrabo zelum, quo volunt adeò breues esse Confessiones, vt si paupercula Virgo suam protrahat vltra spatium vnius *Miserere*, oporteat eandem vestis attractu moneri, tumultum excitari in vicinia, pulsari sedem Confessionalem, vt sciat abunde se fecisse, deinde etiam verbis illam castigare, & extorquere lacrymas: neque esse Deo acceptum, neque consentaneum rationi, quæ vult animas in hac actione, qua nulla ad salutem grauior est, quiete suâ & solatio frui, cæteris, (quæ forsan re-

dundarent) prudentiæ Confessarij commissis: qui sciet prouidere, finémque imponere, vt locus alijs concedatur. Non omnibus vna conscientiæ ratio est. Huic plura dicenda erunt, illi pauciora; hic proferet omnia, ille mediam & potiorem partem subticebit. Hic magnam molestiam, ille nullam experitur: modò nihil illi producatur, quod non spectet ad Confessionem, & ad hoc Tribunal, quis queri meritò poterit? quod lubet, obtrectent alij: ego existimo maiorem exhiberi charitatem homini non posse, quàm permittendo, dandóque operam, vt illius anima veram pacem, tranquillitatémque consequatur, quantumuis Confessio etiã cum nausea protraheretur. Quid prodest lætitiam ficto vultu gestúque simulare, si cor dolore premitur, & pacis est expers? valde metuo, ne ij, qui hanc animorum tranquillitatem impediunt, insignem aliquando Iudici supremo rationem reddant, exsoluántque, aut in hac, aut altera vita, id quod indiscretus, & ineptus ille zelus

commeretur. Suaderem nihilominus, vt qui præuideret ſe inſolita quadam prolixitate vſurum, tempus aliud opportunum deligeret, ne exſpectantium patientiâ abutatur. Abſque hoc caſu, habeat patientiam, qui volet. Hagiophila, vtere commoditate tuâ, dic accuratè omnia, & contenta recede ab hoc opere, ſepoſitis humanis reſpectibus. Recta facientem, dicta aliorum curare non decet. Neque patere, vt te genio quarundam perſonarum, minus pietati deuotioníque addictarum accommodes, vt Sacerdos te non dirigat, non ſoletur, non plenam (cum ijs quæ antecedere & ſubſequi ſolent) formulã proferat abſolutionis. Bonæ enim apprecationes ſunt, & Eccleſiæ orationes pro te, quæ id etiam efficiunt, vt omnes ſecuturæ actiones tuæ & gloriam cæleſtem mereantur, & expiandis peccatis tuis ſeruiant. Quo fructu priuareris, ſi temporis lucrandi gratia, ſolùm ſimplicem abſolutionem verbis pauculis comprchenſam enuntiaret. Vbi otium tibi fuerit,

inquire, quid velint ea verba, quæ absolutioni præmittuntur, & postponuntur, Videbísque non im̃eritò tibi à me commendari, vt ea dici à Confessario postules, quemadmodum com̃unis fert vsus, nisi obstet pœnitentium multitudo.

V. *Prudens*, tum in modo confitendi, non nominatis complicibus, aut alijs personis, quæ ad peccatum aliquid contulerunt: tum ratione Confessarij non tam prope accedendo, vt eum contingas, deinde non vtendo nimiâ cum illo familiaritate: fiducia adesse debet, non familiaritas; grauiter adeundus est, & cum terminis honore reuerentiáq; plenis; quòd etiam extra Confessionem obseruandum, si contingat illum adiri oportere: quod ego quidem fieri velim rarissimè, & solùm occasione vel dubij alicuius resoluendi, vel obtinendæ cuiusdam facultatis, vel ex singulari quodam desiderio profectûs, & diuini amoris augendi, quæ sola motiua B. Mariam Venetam, vt Confessarium extra Confessionem conueniret, impellebant.

VI.

VI. *Seria*: vt te geras tanquam in actione maximi ad salutem momenti, & singula ita peragas, quasi statim pòst moritura: exemplo Religiosi illius ex ordine D. Dominici, qui in infirmitate grauissima monitus, vt ad mortem sese disponeret, Superiori respondit: ah mi Pater! triginta iam anni sunt, quibus quotidie confessus sum, & Missam celebraui, quasi ijs peractis vitâ essem illicò excessurus. Vnde concludo, omnem actionem eo tempore procul abesse debere, quæ aliquam redoleat leuitatem. Reperiuntur, qui eâ tunc sunt immodestiâ, quasi recreando animo tempus concederetur: quin eousque se effundunt, vt sua apud alios peccata inquirant, aut aliorum inspicere Confessionem velint, vt forment suam. Quæ agendi ratio nequitiam & animum arguit insolenter dissipatum.

VII. *Humilis*: oportet enim accusare se potiùs, quàm excusare, vituperare, quàm adulari: ad maiorem deinde humilitatem, & confusionem dici debet,

non solùm numerus proximus peccatorum venialium, sed etiam scelus aliquod vitæ anteactæ. Verum quidem est id vltimum pluribus esse in vsu, sed non hoc instituto. Satagunt illi dare materiam absolutioni sufficientem, planè quasi deesset, si non emendicaretur à leui aliquo mendacio, aut áctu vanę glorię aliàs admissæ, cuius ad finem mentio fit. Magni istud non facio, si aliud non intenditur, cùm inde pœnitenti sit aliqua vanitatis occasio, sibi de innocentia sua sic blandienti, vt pro materiâ confessionis necessaria, sit opus recurrere ad manifestum aliquod crimen præteriti temporis. Quare consuetudo quidem illa retineri potest, sed alio ex motiuo subeunda, nimirum vt magis te humilies, vt actiones vitæ tuæ magis magísque detestere: quo pacto; si in cæteris defuerit absolutionis materia, in hoc vltimo subijcietur, & occasio subtrahetur vanitati.

VIII. *Fidelis* Confessario: vt non referas alijs, quę ille tecum confidenter & ad animæ tuæ salutem communicauit.

Non

Non quòd eodem iure obſtringaris, quo ille tua ſilerę cogitur: è re tamen eſſe videtur, vt non recantes ea, quę ille tibi dixerit: aliàs reddes Confeſſionem ex parte illius odioſam, adiméſque libertatem, ne tibi aliíſq; ex animi ſententia loquatur, ne rectè fungi audeat officio ſuo. Patereris tu, vt referret ea (non dico ſcelera) ſed alia quædam, quæ ex occaſione, & fiduciâ, illi hoç loco ſacro commiſiſti? quâ igitur fronte tu reuelas ea, quæ ipſe arcana eſſe voluit? ſi me audis, nihil euulgabis eorum, quę tibi in hoc Sacramento dicuntur, ne pœnitentias quidem tibi impoſitas: diſplicet id Confeſſario; præterquam quòd illa etiam ratione animi tui ſtatum alijs manifeſtas, qui probè norunt æſtimare, quibus caſibus eæ pœnæ debeantur.

IX. *Secreta*: Cùm æquum non ſit, vt alteri, quàm Confeſſario, peccata noſtra innoteſcant, malè illa cum vllo alio communicantur: neque facilitatem illam nimiam, quà Confeſſio ſeu particularis, ſeu generalis ſubinde familiaribus,

aut

aut alijs, quantumuis aliquo officij genere præpositis, ostenditur, possum alio quàm leuitatis, aut impudentię, aut puerilitatis nomine compellare. Grauiùs profectò apprehendi debent eæ, quæ in Deum admissæ sunt iniuriæ, etsi exiguæ videantur. Néque mihi probari similes communicationes possunt, & quæcumque rationes adferantur, non assequor, nec vt illum agendi modum admittam, inducor. Non augetur inde Contritio, imò contrà accidit: nam insinuat se hîc tacita peccatorũ complacentia, & quædam approbatio, quòd hoc illúdue feceris, aut quòd vitam minùs peruersam duxeris: vnde vanitas animum titillat. Non redditur hinc pœnitens instructior, ne quidem, quando Nouitia illam Superiori suæ aut Præfectæ ostenderet: nam illarum officia ad Confesѕiones non ordinantur, neque solet Deus ijs conferre spiritum directionis tali vsui necessariũ: præterquam quòd assequi nequeant intentiones, quibus huic vel illi vitio indultum est; & sæpe ne naturam quidem

horum

horum peccatorum intelligant, fortasse nec nomen, cùm primâ ætate Religionem ingressæ sint: itáque discent ea, quæ nunquam sciuerunt, quæque scire nunquam deberent. Quòd valde absurdum est, &, quàm credi possit, periculosius. Atque inde plurimum anguntur, vt decernant, quid ex ijs, quæ chartæ commissa sunt, confiteri, aut reticere oporteat; nisi eorum intelligentiam sibi velint arrogare, eousq; vt animas exponant periculo ruinæ, bonámque Confessionem impediant Sed ponamus aliquam hinc hauriri posse instructionem, satius tamen foret eam à Confessario proficisci, quamquam constaret aliquo temporis & patientiæ dispendio, quàm ab ope alterius personæ, ad quam talium rerum notitia non spectat. Et Confessarij (cuius aliàs officium est) molestia, tanti non est momenti quanti periculum quod alteri ex lectione, & notitiâ eorum, quæ in arcano Confessionis tribunali tantùm tractanda sunt, impendet. Ita vt non videam, cur modus iste, & libertas inspicien-

ciendi Confeſſiones, debeat tolerari. Quòd ſi in quibuſdam Religioſis domibus ea viguerit conſuetudo, non ſequitur eam debere propagari: non vſus eſt, ſed abuſus, íſque grauiſsimus quem imprudentia introduxit, fouítque mala curioſitas earum perſonarũ, quæ nec Confeſsionis dignitatem (pace illarum dixerim) intelligebant, neq; inſtitutum ſuum à ſimilibus facultatibus alienum; neque incommoda inde emanantia, neq; morſus Conſcientiæ, quibus impeti meritò poſſent, & à quibus aliquando, ad rem illã confeſsione expiandã, adigerentur.

Tantùm igitur abeſt, vt ille abuſus tolerari debeat, vt è contrario ſit penitùs abolendus, diffamandúſque narratione damnorum inde emergentium, quæ ſanè exigua non ſunt. Primum eſt à ſacrilegijs, quæ hâc occaſione committi ſolent. Perſona enim, quæ nouit priùs inſpiciendam ſuam Confeſsionem, quam Sacerdoti eam enuntiet, neq; aliàs conſiderat, non teneri ſe, vt eam ſic ſcribat, quemadmodũ Confeſſario dicenda eſt,

ex

ex horrore ignominiæ, & ne ſuam viuendi rationem ipſa publicet, certò certiùs admittet grande ſacrilegium, niſi aliud Confeſſario dicat, quàm quod inſcriptum eſt, cùm omnia non inſcripſerit, quæ Confeſsione forent expianda, vt ſi aliquid mortale in Confeſsionibus ordinarijs ſciens reticuiſſet. Neque iſta cerebri mei inuenta ſunt, aut ſine certa cognitione prolata. Scio talia ſacrilegia accidiſſe, & ad eum quidem modũ, vt miſera quædam creatura per plures menſes (ne dicam annos) & ante, & poſt Profeſsionem in hoc ſtatu damnationis hæſerit: & quæ huius mali cauſa? præclara illa Superior, quæ ſcire omnia cupiebat, omnium perluſtrare Confeſſiones, quæque iram vultu prodidiſſet, & peius aliquid, ſi quæpiam fuiſſet eius frontis, & animi, vt chartulam porrigere detrectâſſet: at audacter iſta, inquies, imò verò loquor audaciſsimè, & quidni? cùm malo medicina adhibenda ſit, & facultatem habeam hîc iſta proclamandi, vt cæteri reſipiſcant, & vt mul-

tùm

tùm dicam, non metuo, ne innotescat, in quem agrum hic lapis destinetur. Cùm enim me pluribus Congregationibus diuersorum Ordinum impenderem, quis poterit assequi coniecturâ, vnde hic ictus accidat? præsertim cùm non sit vnicus tantùm Ordo, in quo istud, quod persequor, fuerit vsurpatum. Alterum est à curiositatibus, quibus eæ Confessionum inspectrices in vitam alterius intendunt; & ijs, quæ (præcipuè in materia Castitatis) cogitationes suggerunt impudicas, & tentationes (adeò vt etiam periculo exponantur, nisi magna sint præditæ virtute) plurium notitiam quæstionibus extorquẽdi, quod facere Confessarius non auderet, quódque grauiter eas offendit, quæ suam Confessionem ostendunt: vnde non omittunt hæ conqueri datâ opportunitate, vti reipsâ sæpe questæ sunt, & detestatæ illam agendi rationem, dolentes quòd aliquando chartam suam inspiciendam porrexissent, aut omnia adolescentię suę flagitia adnotassent. Tertium est à periculo mani-

nife-

nifestandi id, quod hoc pacto cognoſcitur, aut exprobrandi, vt alicubi factum ſcio: cùm enim ſecretum hîc tale non ſit, quale in ſacro tribunali Confeſſionis, facillimè aliquid excidit, præſertim apud fœminas, quæ ſecreti tenaces eſſe non poſſunt. Qnartum eſt à moleſtia, quam pleræque in oſtendenda ſua Confeſſione experiuntur: ægrè faciunt, quidquid vultu ſimulent, faciunt inuitæ, ne diſpliceant, ne minùs cæteris præſtent, ne incurrant indignationem; nihil adfero, quòd non ſciam, quódque non multis, grauibúſque experimentis didicerim. Nec miror horrorem illum & difficultatem: ſi enim moleſtum ſit vitam ſuam & occultas actiones patefacere Confeſſario, qui tantâ ſecreti lege tenetur, & qui aliunde ſupremi Sacerdotis Chriſti locum occupat: quid tandem erit ſe manifeſtare fœminæ, ab iſtis conditionibus remotiſſimæ, & cui ius nullum eſt penetrandi abdita conſcientiarum, ſoli Deo, eiuſq; Vicario reſeranda?

Hiſce ergo rationibus & incommo-

dis

dis impulſas eſſe arbitror Superiores Ordinis cuiuſdam Religioſarum, quas magno affectu honoréque proſequor, vt ad euitandam notam, quæ à tali conſuetudine illis imminebat; ſtatuerent, vellentque promulgari in omnibus ſui inſtituti domicilijs: nō eſſe mentem ſuam, vt ea facultas per Ordinem proſerpat, & ſi alicubi abuſus aliquis aut imprudentia circa illam accidiſſet, illicò remedium adhibeatur, neque vlla Superiorum Directricum, aut Nouitijs Præfectarum ſit tam temeraria, vt deinceps defectum tam perniciosum, qui infamare Ordinem, & multiplici culpâ Deum poſſet offendere, admittat. Spero illarum exemplo cæteros Ordines, conſuetudini huic obnoxios, pariter proſpecturos, & opportunis occurſuros edictis ex ſententia ſuorum Prelatorum, quos propenſos experientur. Quod ad te attinet, Hagiophila, ne tuam alteri quàm Confeſſario Confeſsionē indices, aut oſtendas, veto. Si alicui teſtari velis ſincerum, & confidentem animum tuum, per me licet,

licet, testare, sed in negotio alio: in hoc, iterum veto, & vt mihi auscultes, rogo. Vtut sum, si etiam posteà quàm mihi confessa es, legendam mihi porrigeres chartam tuam, certò tibi persuasum habeas, me eâ facultate non vsurum; acciperem quidem eam ad comburendum, non verò vt eam inspicerem, etsi omniũ per te iam forem conscius. Et quando eam de facultate tua legissem, non obstante illa bona veniâ, istud vitium confiterer: tam à re, & ratione abhorrentem existimo illam alienæ Confessionis inspectionem.

X. *Pacata, & tranquilla.* Conditio hæc non seruit nisi animabus scrupulosis; & idcircò, Hagiophila, si scrupulis non angaris, non est, quòd vltra intendas huic dissertationi, quę iam nunc modum & propositam mensuram excedit. Si verò scrupulosa es, primi moniti loco tibi author sum, vt scrupulos eámque cogitationem, quæ te reddit anxiam, in diem Confessioni destinatum sepónas. Faciebat id B. Aloysius Gonzaga, eáque ratio-

ratione animum necessariâ ad reliquas pietatis exercitationes quiete componebat; vbi è contrario si mentem aduertisset ad scrupulum suum, continuâ solicitudine, forétne peccatum, an plenus adhibitus consensus, an confessione exprimendum, similibúsque curis caput & valetudinem labefactasset Alterum, quod tibi offero, monitum est, vt vtaris punctis sequentibus, quæ viri æqua sanctitatis, & doctrinæ laude florentes præscribunt. & quæ ego dedita opera ad opem scrupulosis ferendam collegi. Sed priusquam illa pertractem, existimo præmitti debere: quid sit anima scrupulosa, & quandonam censeatur capax eorum, quæ dicturus sum. Animam ergo assero scrupulosam esse, quæ perplexa, dubia, & in assidua anxietate est, vtrum peccauerit, an non, consenserítne cogitationi, an non, & sic de cæteris. Quando verò persona aliqua sic est, talísque à Confessario, & alijs idoneis viris iudicatur, & aliunde gerit curam animæ suæ, cum proposito, vt nolit Deum vllâ ratione

tione mortaliter offendere, habeátque illam experientiam, quòd ab eo tempore, quo proposuit diuino seruitio se mãcipare, nullum vnquam peccatum mortale, aut vix vllũ sciens admiserit; quando, inquam, persona eiusmodi est, securè, & sine vllo metu, poterit vti hisce punctis. Primò: Persona scrupulosa, qualem iam descripsi, non obligatur confiteri id, de quo non ausit iurare fuisse mortale peccatum, quando illud perpetrauit, aut esse mortale, quod perpetratum est. Atque hæc regula multò verior est circa peccata venialia, de quibus dubitatur, fuerintne dicta in Confessione: si enim non auderes iuramento affirmare quod nunquam illa dixeris, nulla confitendi obligatio est. Secundò: Si circa præterita dubitat: consenserítne, an non, vtrum aduerterit, an non; vtrum confessa sit, an non; vtrum contra conscientiæ dictamen egerit, an non; vtrum illud se mouerit, an non; iudicare debet, & credere, se in nullo horum deliquisse, aut peccasse, neque confessione opus es-

se, & debere se esse tranquillâ securâque conscientiâ; adeò vt etiamsi reipsa peccatum fuisset, Deus tamen nullam ab ipsa rationem exacturus sit, neque quòd ita determinauerit, neque quòd illud in Confessione reticuerit. Tertiò: Si inter anxias dubitationes, quæ animæ scrupulosæ occurrunt, accideret aliqua huiusmodi, an nimirum peccaret, an non istud dicendo, vel faciendo, aut hanc vel illam rem omittendo peccatum fieret; quamdiu tam manifestè illi non proponitur, vt iurare possit esse peccatum, hoc casu debet affirmare peccatum non esse, neque illud patrando se peccaturam. Tutiùs tamen tum foret, probè in rem inquirere, eámque omittere, donec perspecta sit, modò omitti commodè possit: nihilominùs si fecerit, non erit peccati rea. Quartò: Fidem habere debet, suúmque iudicium subijcere dictis & consilio Confessarij in ijs omnibus, quæ ad conscientiæ directionem pertinent. Si lubet, præter hæc, subinde peruoluere poterit Tractatum de scrupulis, qui in-

ter

ter Opera Rodericij reperitur, & singulari quâdam Religione ferri in cultum S. Iosephi, & S. Ignatij fundatoris nostri, eorum opem quotidie implorans, vt à scrupulorum molestia liberetur: faciet, quod erit è re sua, & commodo; quam quoque gratiam postulare poterit, quoties in Missa populo Sacratissima Hostia demonstratur.

Atque hæc de ordinaria Confessione dicenda occurrerunt, prolixiorem me fuisse fateor, sed cùm cœpissem, prætenire nihil volui; aliàs ero breuior, neque tam multis te detinebo.

Si hæc Lectio non placet, lege cap. 3. 4. & 5. tract. 2. part. 1. Rodericij, aut cap. 19. & 21. lib. 1. de Imitatione Christi.

Peractâ Lectione renoua deuotionem ergà animas in Purgatorijs flammis existentes: illas eò tepiditas pręcipitauit. Aptissimè hodie, quo damna ignauiæ spiritualis consideras, earum recordaberis; vt deinceps opem, & solatium conferas. Vide igitur, quid hactenus illarum gratia egeris, quid agere impostcrũ decernas. Consulere potes ea, quæ ad initium Nouembris, in Anno Sancto à me con-

cinnato, proponuntur, aut ipsa modos subsidij ferendi excogita, Diuus Dominicus plurimas pro illis pœnas & corporis macerationes subibat; S. Malachias Missarū illis applicabat sacrificia, S. Xauerius merita indulgentiarum; Alexander Lusacius multas preces, & sæpenumerò defunctorum Officium ijs liberandis recitabat.

Dispone te iam ad sequentem Meditationem.

II. MEDITATIO.

De damnis, quæ proueniunt ex actionibus tepide, & ex consuetudine factis.

Oratio præparatoria solita.

I. PRæludium. Contemplare Deum in Paradiso creantem, & producentem omnia non defunctoriè, sed perfectè. Perfecta enim sunt opera Dei, & valde bona.

II. *Prælud.* Pete à Deo gratiam, quâ cognoscere possis, in quo consistat imperfectio, omnia sua defunctoriè, & tepidè paragendi, vt ab ea consuetudine descíscas.

I. *Pun-*

I. *Punctum.* Actiones ſuas perfunctoriè, & ex vſu facere, eſt primò, facere quidem ſubſtantiam operis, ſed ſine debitis circumſtantijs, oras, ſacro intereſ: at quo modo? ſine attentione: quantum? contrahis debitum tempus. Cur? ſine recta intentione, vt ab hominibus videaris, ne minùs cæteris facias. Quod in alijs quoque actionibus vſuuenit, vt ſi idcircò compoſitè incedas, quod alij te aduertant. Secundò, eſt ludere in incertum, & aërem verberare, vt Paulus loquitur, cùm nec finem, nec ſcopum debitum actionibus meis proponam, aut intendam id, quod à voluntate Dei eſt alienum, etſi in ſpeciem bonum videatur. Ita Saul armentis optimis pepercit prætextu ſacrificij, quâ tamen re vehementer Deum offendit.

II. *Punctum.* Actiones ſic factæ tria nobis damna inferunt: Primò, ſubinde nos ad mortale peccatum diſponunt: Diebus feriatis ſacrum audiens oro ex vſu quodam, & omnis generis diſtractiones admitto, ijſque immoror; tan-

tundem deinde aut etiam peiùs facio in sacro festæ diei, & en peccatum mortale, si ista mentis euagatio voluntaria est, & cum morâ notabili. Idem accidit in Officio Canonico, ei qui iure ad hoc obligatur. Secundò hac agendi ratione priuo me solatio, & tranquillitate animi, quam ij possident, qui actiones suas cum feruore exequuntur. Careo lætitiâ, & meritis Sanctorum, quæ tamen summa esse oportet, postquam annum integrum, imò decem, aut viginti, aut etiam triginta annos Deo feruenter, summáque perfectione impenderunt. Tertiò faciunt hæ actiones, vt ad perfectionem, ad quam tamen obligamur, attingere non possimus. Quidquid creatura producit, conforme est fini & perfectioni ab ea requisitæ. Quid aliud à malo expectas quàm poma? prodigium foret, si produceret saxa. Vide ergo, an fructus feras tuæ perfectionis: cui sanè perspecta esset Confessio tua generalis, mira isthic monstra, & portenta deprehenderet. Admirare, anima mea, Dei poten-

potentiam, bonitatem & benignitatem: sufficiunt illæ, vt cor tuo durius emolliant, & ad feruorem animum accendant.

III. *Punctum.* Media aduersus hunc languorem, aut languidam consuetudinem. Primò, Examen particulare plurimùm proderit, si per menses aliquot, & statis horis seriò in istos defectus inquiras. Secundò asperitate aliquâ opus est, vt tibi ipsi pœnam imponas, quoties deliqueris. Ex mente Ludouici Granatensis, cor nobis esse debet filiale aduersus Deum, maternum erga proximum, & Iudicis erga nosipsos. Tertiò candidè, & sincerè commissos defectus aperi vel Confessario, vel ei, qui animæ tuæ curam gerit, rogando, vt tibi pœna publica priuatáque imponatur. Quartò exercitium præsentiæ Dei, qui te operantem obseruat. Quintò tibi propone IESVM, Sanctissimam Matrem, aut alium Sanctorum aliquem, & considera, quâ ratione istud operis peragerent.

Colloquium ad Spiritum ſanctum, qui totus ignis eſt & feruor. Et dic: volo, ita ratum eſt, volo, cum feruore mea deinceps exequi, & cum gratia Diuini illius Spiritus fiet. Amen. Veni Creator. Pater. Aue.

Recollectio. Viſitatio Venerabilis Sacramenti. Examen. Prandium. Recreatio. Viſitatio Venerabilis Sacramenti. Examen particulare. Tempus ſcripturæ, noſti, quid ſcribendum ſit. Lectio ſpiritalis, aut diſſertationis proximæ, aut eius quod poſteà notabo.

DISSERTATIO POMERIDIANA.

De ſpiritu feruoris erga actiones etiam heroicas.

HAgiophila, Nonne magni fauoris loco numerares; ſi tibi panderem ſecretum aliquod ſummi ad ſalutem tuam momenti? candidè; quid ſcire aueres in hoc grauiſsimo negotio? polliceor me tantam tibi daturum ſatisfactionem, quantam exigere vix auderes. Non petes autem, an è numero ſis præ-

deſti-

deſtinatorum:nam reuerà id à me intelligere non potes; & Deus auertat, vt id perſpectum habeas. Si enim iſtud tibi manifeſtaretur, ne tu per dies aliquot cum S. Franciſco, à mente abalienareris! præ gaudij vehementia contineri non poſſes, quin ad inſtar Mænadis alicuius per domum, per porticus, per compita diſcurreres. Iſtud nùntium auertat Deus. Et quis ſcit, an non de ſalute tuâ reddita certior, inciperes negligere ſtudium virtutis, & magnæ gloriæ in cælo conſequendæ deſiderium? Peius verò foret, ſi ſignificaretur, te eſſe reprobatam, tunc enim ſubduci omnes funes deberent, ne aliquo gulam tibi frangeres deſperabunda; niſi fotaſſis animus tibi foret illius Abbatis, quem malus Angelus è reproborũ eſſe numero aſſeuerauerat. Reproborum? inquit Abbas: non obſiſto: fiat Dei voluntas. Verùm quid agendum mihi ſit, noui: quandoquidem æternum damnandus ſum, & priuandus felicitate Deum ſemper amandi, reliquum vitæ meæ impendam in ardentiſſimum illius

amorem, & quia beatitudo cæleſtis in amando Deo conſiſtit, ſi amare illum in altera vita non poſſum, in hac amabo; & hoc exiguo tempore, quod mihi reſtat, cælo fruar. Quam aliam curioſitatem ſcire deſiderares? (nam quoad illam credo tibi excidiſſe appetitum) velles ſcire, diem, annum, & locum mortis tuæ? at illius rei notitia, adhuc alterâ pernicioſior eſt, Si enim tempus proximè inſtaret, inconſolabili animi ægritudine opprimereris; ſin verò procul abeſſet, eò feruorem tuum, & bonorum operum exercitationem differres. Quo ad locum, fremeres, quoties illius meminiſſes: quid ſi adire cogereris? ſi me audis, elige rem aliam ſcitu vtiliorem. Voles forſan intelligere, dimiſſáne ſint peccata tua? Ad hæc æquè inepta curioſitas eſt. Si enim negetur, iam deſperationi proxima es; ſi aſſeratur, frueris aliquot dierum ſolatio, ſed poſteà ſollicitudo eadem te affliget: nouis enim ſceleribus admiſſis, neſcies, an hæc tibi indulta ſint, Optimè igitur renuntiabis omnibus

bus ijs curiositatibus, & arcani secretissimi loco require à me viam, quæ recta deducit ad cælum. Sic, sic loquendum est, ista placet curiositas, cuius auidos esse mortales omnes oporteret: lubens illi satisfaciam, & respondere paratissimus sum. Sine dubio reperiuntur rectæ ad cælum viæ, alioquin non diceret Sapiens cap. 10. Quod *iustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei.* Neque debet à me disceptari, quænam viæ sint rectæ, si verum est eas esse rectissimas, quæ sunt breuissimæ. At breuiorem non inuenio, neque proinde rectiorem, quàm sit illa feruoris spiritalis, modò ea, quâ dicturus sum, ratione accipiatur, intelligatúrque. Duo solùm genera sunt eorum, qui feruent in diuino seruitio: sed vtrique in via ad cælum progrediuntur, incredibili velocitate: vnde in eam opinionem venio, feruorem animi plurimùm valere apud Deum, & mirum in modum accelerare iter ad egregiam sanctitatem. De primis loquamur; Præstantissimus feruor est

eorum, qui dant operam actionibus heroicis, generosis, & ita sublimibus, vt radiorum suorum splendore consuetudinem obfuscent vulgarium actionum. Fertur natura in sinu suo gestare reconditas quasdam productiones extraordinarias, & effectus gloriosos qui vulgi iudicio prodigia miraculaque existimantur. In India arbores sunt pomiferæ, quæ identidem non nisi vnicum fructum producunt, sed eius magnitudinis atque ponderis, vt robustissimi hominis vires, non dico, ferendo, sed vix leuando oneri sint pares. Tale pomum, naturæ nisus est, qui spectatores in admirationem rapit & stuporem. In terra Promissionis tam grandes, & graues botri colligebantur, vt vnicus duorum fortissimorum virorum humeros fatigarit. Botrus istiusmodi erat naturæ miraculum, quod Israelitas ad illius terræ desiderium inflammabat. In Parquaya, Occidentalis Indiæ Prouincia, reperitur gemma, quæ vna reliquarum omnium gemmarum elegantias comple-

plectitur. In ea Adamantes, Amethyſti, Rubini, Carbunculi, Smaragdi alijque ſimiles, ita inſiti, vt in Granato pomo grana: Tam elegans gemma, vt ob formæ præſtantiam gemma admirabilis, & vnio ſexaginta elegantiarum nominetur. Habet id quoque commodi, quod è terræ viſceribus, tanto impetu tumultúque gignitur, vt crederes nubem aliquo tonitru diſſilire, idque Incolis indicium eſt, vt hanc tot pretioſiſſimarum gemmarum congeriem colligant. Atque iſta magnum profectò naturæ prodigium eſt, quod in pluribus quoque alijs oſtendi poſſet. Ad eum modum gratia ſe habet; habet ipſa productiones & niſus ſuos, actiones nimirum heroicas, ſed quæ duntaxat ad eos ſpectant, qui feruent magno animi ſpiritúſque ardore, & calent alio ſanguine, quàm vulgus commune mortalium. Vt clarius mentem meam aſſequaris, dico Actiones haſce potiùs angelicas eſſe, quàm humanas, & eſſe adeò excellentes, vt ſi Deus inter homines

versaretur, non aliter eas exerceret; actiones omninò altas, sublimes, generosas, feruentes, Angelicas & diuinas, quibus quicumque incubuerit, fructum refert incredibilem, & tam singulares in sapientia progressus facit, vt homines, Angelos, & Deum abripiat in sui admirationem & amorem. Eius generis fuit sancti Alexij fuga, quâ se è domo paterna proripuit, primâ nocte nuptiarum, sponsam intactam relinquens, paupertatis propter Iesum experiendæ studio, & amore Castitatis. Erat isthæc actio heroica, feruens & generosa, effectúsque insignis eius, quo æstuabat, feruoris. Talis fuit etiam despicientia dignitatũ mundanarum in sancto Ludouico Gallici sanguinis Principe, qui deseruit omnia, vt S. Francisci vilem pauperémque habitum indueret. Similis prætereà fuit in sancto Casimiro Polonici Regis filio, amor integritatis. Vitæ periculum adibat is, nisi matrimonium iniret. Castitate valetudinem labefactante: at maluit vitam amittere, quàm virginitatem.

Hæc

Hæc sanè actio, & sexcentæ aliæ huic pa-
res, quas, vbi occasio sese obtulit, ma-
gni nominis sancti exercuere, omninò
actiones sunt heroicæ, gratiæ prodigia,
& germina spiritalis illius feruoris. Ve-
rùm enimuerò, quia nihil egisse vide-
bor, nisi hoc iter ad cælum esse rectissi-
mum, breuissimúmque demonstrem:
aio id adeò certum esse, vt vnicus subin-
de actus heroicus sufficiat, non solùm ad
aucupandam diuinam gratiam, sed etiã
ad illum ipsum feruorem deinceps obti-
nendum conseruandúmque. Sic acci-
pio illud Cantici Canticorum, vbi spon-
sus affirmat se abreptum esse, vnicâ co-
gitationum illius: *Vulnerasti cor meũ so-
ror mea sponsa in vno crine Colli tui.* Prima
B. Virginis cogitatio, quâ se sub ipsam
Immaculatam Conceptionem suam, in-
tegrè Deo dedicabat, sic diuinum cor, &
affectũ rapuit, vt illicò fauores omnes,
& gratias in illam congesserit. Maria,
eximia est, sine pari est, nimiùm supra
mortalitatis nostræ conditionem emi-
net: Mariam aliam adeamus, videlicet
Mag-

Magdalenam; ab vnica heroica, & feruenti actione, insolitum illum Christi fauorem beneuolentiamque est consecuta. Videre Puellam nobilem (qua nulla Ierosolymis naturæ dotibus instructior, quæ pompa luxuq; cæteras omnes anteibat) humi prostratam ad pedes viri, inter epulas, præsentibus conuiuis, vt illum, quem Deum supremumque Dominum suum credebat, sibi conciliaret, nonne est hoc, habere præ oculis ipsam feruoris idæam & actionum heroicarũ archetypum? *Pia impudentia*, inquit Augustinus, *quæsiuit sanitatem, irruens importuna conuiuio, opportuna beneficio.* Vocat ille piam impudentiam, ego feruorem indigitare malo, & assero hoc vnicum opus heroicum fuisse fontem, ex quo admirandi illi diuini amoris riui, quibus deinde affluxit, emanarunt. Deus à creaturis suis, vinci humanitatis officio non vult: amat illas, blanditur, & longè alia ratione, quàm soleant terrarum Domini suorum subditorum agnoscere obsequia, remunerat. Discimus

mus ex historijs Ottomannorum, quendam Mahometē, qui intimus & carissimus Solymanno fuit, nō aliter peruenisse ad tantos honorum & fauorum gradus, quos sub Solymanno, & alijs duobus Turcarum Imperatoribus occupauit, quā actionis vnius feruore animosoque plenæ officio. Epistolam legebat Solymannus innixus fenestræ, qua in Viridarium erat aspectus, hæc legentis manibus excidit, viridario illapsa est: illicò tota nobilitas aulæ ad gradus currere; volare ad chartam: vt quisque prior referendarum litterarum honorem occuparet. Quid fecit Mahomet, vt anteuerteret cæteros? præcipitem se de fenestra dedit, sublatamque Epistolam primus Principi suo retulit. Actus ille tam acceptus fuit Solymanno, vt statim Mahometem authoritate, dignitateque præ cæteris auxerit, atque per omnem vitam habuerit in delitijs. Tantum potuit hæc affectûs & feruoris in Principem deuotissimi testificatio. Ament sanè Solymanni, & orbis moderatores,

tores, tam illuſtrem, & amore plenam actionem; faciliùs tamen & admirabiliùs capitur diuina bonitas: opus vnicum plenum affectu & feruore, & aliqua nota inſigne, obitum in ipſius ſeruitio, eam deuincit, vt tales amantes non ſolùm in hac vita, ſingularibus fauoribus, verùm etiam in altera magno gloriæ incremento proſequatur. Pertexamus telam, quam orſi ſumus: vnus actus heroicus, & extra ordinem feruens, diuinam maieſtatem (ſi ita loqui liceat) rapit in admirationem, & incredibilia elicit reciproci amoris argumenta. Ob hanc rationem ſurrexit è throno Iesvs, ſtanſque S. Stephanum pro inimicis tanto animi ardore ſupplicantem ſpectauit, veluti huius ſtupore prodigij attonitus. Fecerat aliquando S. Tereſia illuſtre, & feruens, neſcio quod, opus: crederes Deum ſibi imperare non potuiſſe, quin diceret: Tereſia, ſi mundum non condidiſſem, illũ iam tui gratia, & ex propenſiſſimo erga te affectu crearem. Vides, Hagiophila, quid ſit

ferri

ferri in actiones insignis alicuius feruoris. Et nonne gratum est, quod de ijs tecum disseram? addam igitur: equidem mihi persuades, te fieri sanctam velle, & ad sublimem perfectioné aspirare: Imò verò dicam, vnico solo actu heroico, & illustri opus esse, vt ad sanctitatem pertingas: & huc animum mecum aduerte, Sanctorum vitas percurrendo: plerúmque reperies, principium sanctimoniæ ipsorum ab aliquâ generosa, & illustri actione promanare. Vnde cœperit S. Alexius, iam supra retuli, & peculiari animaduersione dignum est, quòd in Ecclesia Dei nullus colatur Sanctus aut Sancta, Generosi vel Generosæ nomine, nisi ipso die S. Alexij, qui in decimum septimum Iulij incidit: Quasi Deus, permittendo, vt isthoc solùm die S. Generosus, & S Generosa mortem oppeterent, indicare vellet, eos viros, qui piè Generosi esse desiderarent, & mulieres, quæ etiam Generosæ esse cuperent, incipere debere ab actionibus heroicis, S. Alexij exemplo, Adeò verũ est ab vna generosa

nerosa feruentique actione dependere sanctitatē. Eximius ille vir Cæsar Buzius euasit in sanctum, talisque esse perrexit, simul atque (vti alio loco narraui) hoc à se obtinuit, vt Augustissimum Sacramentum nudato capite, & facem manu prælucens, contempto nobilium familiarium occursu, à quibus se ridendum, vilipendendúmque præuidebat, ad ædes ægroti deduceret. Notum est omnibus, quid Imperatorem Theodosium, ad tantam vitæ sanctimoniam perfectionémque euexerit. Adulabatur sibi Eremita nonnemo, quòd in aliquem perfectionis gradum euasisset, cùm ab Angelo monetur, longè ab eo abesse; & Theodosium quantumuis sæculi curis & Cæsarea dignitate implicitum, maiora habere sanctitatis, & perfectionis argumenta. Quare statuit is adire ad Imperatorem, & in eius mores vitamque inquirere, quid tandem illum in numero perfectorum collocaret. Obtento aditu: sacratissima, inquit, Maiestas tua dignetur mihi suum viuendi modum, suas

deuo-

deuotiones, & reliqua ſua pietatis exercitia patefacere. Pater mi, reponit Theodoſius, facio quod alij ſtatutis temporibus Deum oro, mane, Veſperi, & in Miſſa. Timeo diuinam Maieſtatem, quam, ne propoſitis quidem totius Orbis coronis, offenderem. Studeo Caſtitati, & coniugali continentiæ. Hæ deuotiones meæ ſunt, hæc tota viuendi ratio. Non acquieuit iſtis Eremita, ſecum reputans, quòd non illa tantùm, ſed etiam maiora præſtaret, vtpote matrimonij expers; adeò, vt ſtatuerit vrgere Imperatorem, ne quid clam haberet. Videns igitur Theodoſius rursùm ſe peti ab hoc homine, aſſeruit ſe nulla diſſimulatione vti, duntaxat habere ſe illam præterea conſuetudinem, in ludis theatralibus, frænandi oculorum licentiam, & curioſitatem: quotieſcumque enim occurreret aliquid aſpectu iucundum gratumque, & populus magnis lætitiæ vociferationibus ſpectaculo acclamaret, tum ſe demittere, aut omninò claudere oculos ſolere, ne quid eorum cupiditati indul-

dulgeret. Quod cùm audijsset Pater, istud, inquit, erat quod volebam, abundè mihi satisfactum est. Abijt, & tam excellenti virtute attonitus, maiori quā hactenus studio decreuit applicare animum actionibus heroicis, feruentibus & generosis, cùm ab ijs homines tantopere attollerentur. Nonne ergo rectè dixi, Hagiophila, vnica solùm actione tali opus esse, vt sanctitatem consequaris? vnica sufficit, vt in rebus difficillimis, quæque sensui toto maximè aduersantur, non dico, nullam molestiam, verùm etiam facilitatem experiaris. Simul atque S. Xauerius os vlceri illius afflicti hominis admouit, vt pus exsugeret, nullum deinceps naturæ horrorem sensit in aspiciendis contrectandisque ægris, qualicumque demum morbo laborarent. Vna actio satis est, vt spectatores omnes permoueas, rapiasque animos etiam eorum, ad quos huius notitia permanabit. Socius S. Xauerij, cùm in publico foro apud Indos concionaretur, in vultu contumeliosè despuitur à

præ-

prætereunte Idololatra. Quid egit? an insolens facinus iusta iracundia, & indignatione prosecutus est? siluit, & immoto animo vultuque, faciem sudariolo detersit, & inchoatam Catechesim peregit. Actus ille heroicus patientiæ, incredibiles peperit animorum motus, & conuersiones. Adeò verum est, vnam solam illustrem actionem omnibus ingentia adferre emolumenta, & illis præsertim, qui eam exercent. Vnde non immeritò dixit sapiens, egregios & feruentes viros suis operibus opes præstantissimas colligere: *Manus fortium diuitias parat.* Ah quàm promptum est, breui ditescere! quàm est facile consequi sanctitatem! nullo enim apparatu opus est alio, quàm generositate feruoreque horum diuinorum Amantium, & huius viæ ingressu, quæ rectà securissiméque ad cælum deducit.

Addamus aliquid de secundi generis feruentibus, qui quoque rectà ad cælum gradiuntur: fortasse priores animum tibi euertunt, & difficulter induci potes,

tes, vt talem de te reportes victoriam: insiste igitur vestigijs aliorum, nec me prius desere, quàm accensam te sentias horum vel illorum feruore. De hisce loquitur sapiens cum ait: *Vidisti virum velocem in opere suo? coram Regibus stabit, nec erit inter ignobiles.* Quasi diceret: obseruastine aliquando egregios illos Principis asseclas, qui tanta animi promptitudine omnibus illius mandatis obsequuntur? siue res imperata sit difficilis, aut facilis; magna aut exigua; gloriosa vel abiecta, prompti æquè paratique sunt, eamque exequuntur incredibili celeritate atque alacritate: eóque pacto ita sibi deuinciunt Principis animum, vt eos abesse nolit à latere suo, quin ad nobilissima officia euehat, præcipuasque dignitates. Aduertisne etiam personas in Dei obsequijs promptas, & ad omnia quæ illis significantur, & præcipiuntur, ita paratas, vt neque excipiant, neque obloquantur, neque differant, neque cogitent: cur istud mihi, & non alteri? non attendant conditio-

nem

nem personæ imperantis, siue ea par, siue inferior, siue superior sit? hîc audacter pronuntia, tales esse eos, quos imitari te oporteat, & nisi in ijs sit feruor spiritus, nescire te vbinam locorum ille resideat. S. Patriarcha noster Ignatius aliquando obuium habuit aliquẽ è suis, qui tepidè segnitérque commissum sibi negotium peragebat, cuius, inquit, gratia, mi Frater laboras? cúmque is respondisset: Dei; itane verò, ait S. Pater, Dei opus tam negligenter? næ longè alio feruore & alacritate, tanto Domino exhibendum obsequium est! quoties in memoriam mihi reuoco, quanta promptitudine B. Magdalena surrexerit, simul atque intellexit à sorore, sese à Iesv citari (*Magister adest, & vocat te. Illa vt audiuit surgit citò, & venit ad eũ*) toties mihi persuadeo, eum esse feruentium morem: arbitrantur à Iesv se vocari, ad hoc illudue peragendũ; & qualecumque sit, eò tendunt, feruntúrque eâ lætitia, & feruore, quem meretur is, cuius gratia, suas actiones suscipiunt, &

prosequuntur. Hagiophila, nonne fas esset æmulari studium illorum, aut saltem proximè facere, quòd mundi amatores, & Aulici in suorum Principum seruitijs ardentissimè exhibent? an minus obsequij promeretur Iesus à te, quæ te illius sponsam profiteris? quando diligis creaturam aliquam (quæ vt plurima habeat amoris incitamenta, non aliud est, quàm terræ vermiculus) tanto affectu ardoreque raperis, curris, volas, vt illi adsis, illique seruias, aut vt aliquam tui in illam amoris testificationem demonstres; quid igitur te facere non oportet, imò quantò ardentiori amore feruòreque, debes sequi omnes nutus tui amabilissimi seruatoris, eius, inquam, qui tibi millies teneriùs afficitur, quàm affici possent omnes totius orbis creaturæ, quamuis omni amoris lenocinio abundares? ad feruorem, ad feruorē, Hagiophila, ego te inuito; istic egregius amor est, istic decus, & perfectio diuini amoris consistit: & si eius amoris habes socias, pia quadam æmulatio-

latio.

latione satagant singulæ, vt altera alteri generosè, heroicéque operando, lauream præripiat. Tu cæteras feruore supera, & præsta te dignam Alexio filiam, qui totos triginta sex annos continuis actionibus hereoicis feruentibusque impendit. Iam hinc à temporibus Deboræ certamen fuit, quisnam feruoris & magnanimitatis laudem reportaret: *Cum Debora facta est contentio magnanimorum*. Reuocare ista tempora non possemus, & sancta quadam ambitione cæteros in stadio feruoris præuertere? facies id, chara Hagiophila, quandoquidem non frustra studiosè inquisieris rectam & breuem viam, quâ feliciter ad cælum peruenires.

Si lectio ista non sufficit, lege cap. 6. 7. & 8. Tract. 2. Primæ Partis Rodericij. Aut cap. 20. & 21. l. 3. Thomæ de Kempis.

Adest iam tempus Examinis circa diligentiam spiritualem, quam habere nos oporteret; & ecce materiam, ex quâ facilè agnoscemus, an spiritualis feruor in nobis hactenus fuerit.

EXAMEN.

De diligentia spiritali.

QVindecim notas tibi præfigo è quibus aduertes, num habeas illam diligentiam, quam Dei amantes tantoperè ambiunt.

Prima. *Magno ferri desiderio, vt in vita spiritali proficias, téque penitùs Deo consecres.*

Secunda. *Generosè superare ea, quæ proprius amor maximè formidat; Contemptus, confusiones, humiliationes, & omne genus mortificationis, & abnegationis voluntatis propriæ.*

Tertia. *Sæpe facere bona, firmaque & constantia proposita.*

Quarta. *Operibus præteritis & propter Deum peractis non attendere, sed peragendis studere, & ad anteriora, vt Apostolus ait, se extendere.*

Quinta. *Labores suos, etsi aßidui sint, & notæ alicuius, tamen modicos existimare paruique facere.*

Sexta. *Declinare vsum earum personarum, siue sæculares, siue Religiosæ sint,*

quæ

quæ nos distrahunt, & negotijs, aut cogitationibus, ab recollectione interna alienis, implicant.

Septima. *Nullam ab ordinarijs exercitijs exemptionem aut immunitatem quærere, aut admittere, vt liberius arbitrio nostro viuamus.*

Octaua. *Amare sanctam illam captiuitatem, quâ multarum rerum minutarum obseruationi adstringimur.*

Nona. *Affici studio Orationis, eámque cum gustu, & animi attentione peragere.*

Decima. *Facilè reuocare animum ad interiora sibique attendere.*

Vndecima. *Sedulò examinare conscientiam, cum animaduersione defectuum suorum, & emendationis proposito.*

Duodecima. *Molestè se rebus exterioribus impendere, nisi sit ad opem proximo ferendam, aut boni alicuius operis exercitationem.*

Decima tertia. *Amare disciplinam Religiosam, aut antiquas nostras deuotiones, eodem affectu quo illas initio conuersionis nostræ prosequebamur.*

Decima quarta, *Libenter sese occupare, & otium fugere.*

Decima quinta, *Impensè in salutem animarum incumbere.*

Peracto hoc Examine sequitur Oratio vocalis, Officij, vel alia. Deinde hæc Consideratio.

CONSIDERATIO.

I. SIc est profectus noster, vt nullum illi comparando negligi tempus queat; continuò prosequendus est, magnáque assiduitate, neque in itinere benè cœpto fatigari, aut lentescere nos oportet. In cæteris omnibus sua sint interualla, & tempora quietis, hîc nulla conceduntur.

II. In arbitrio meo est, magnam consequi sanctitatem: solius defectu feruoris gloriosam illam coronam, quam Deus offert, amitto. Multum perdo per ignauiam meam, vtinam non omnia!

III. Quid seruus meretur, qui loco laboris, quem impendere Domino suo deberet, totos dies consumit risu, nugis, otio, desidiáque? quid ille dicet Dominus,

nus, operæ suæ mercedem exigenti? ah, ego seruus ille sum!

IV. Præcepit Dei Filius, vt arbor, quæ non facit fructum bonum, exscindatur, & in ignem mittatur. Vtinam anima mea sit arbor bona, quæ firmas agat radices, vt quâcumque occasione extendere, & impendere virtutum exercitio me possim; vt vndequaque crescam per intentionem, & feruorem actionum mearum; vt non producam fructus vanâ gloriâ, aut amore proprio, humanóque quæstu corruptos!

V. Omnia nos stimulant, vt tandem pigritiæ nostræ pertæsi, magnum in virtutibus progressum facere satagamus. Primò: Crescit corpus, & iustam suam perfectionem assequitur, quidni & anima mea quoque suam? Secundò: Laude dignus mercator est, qui maximum quęstum facit, & labore suo amplificat rem familiarem: opes ego maiores comparare mihi possum. Tertiò: Suspicitur Princeps, qui armorum virtute iustóque bello nouas ditioni suæ Prouin-

cias, nouáque regna adiungit: & impedire nihil me poteſt, quin exiguo labore regna occupem excellentiora. Ignauus ſit, qui volet ego eſſe deinceps nolo.

VI Potior eſt dies vnicus in feruore, & actionibus ex Dei amore peractis decurſus quàm mille alij, qui ſenſuum cupiditatibus, & propriæ voluntatis ſatiſfactioni impenduntur: quia ex mente Diui Auguſtini, quodcumque tempus amando Deo non impenditur, perditur.

Adeſt iam hora Relaxationis, deinde Officij, aut vocalis Orationis. Tum viſitationis Venerabilis Sacramenti. Denique Meditationis præuidendæ.

III. MEDITATIO.

Motiua ad feruorem, & perfectionem proſequendam.

Oratio præparatoria conſueta.

I. PRæludium. Ob oculos tibi propone Iſraëlitas, qui exploratum iuerant terram promiſſionis, *Num. c. 13. & 14.* eámq; aduerterant omni frugum, & fructuũ genere affluentem, manantem lacte & melle, denique ſtudijs omnibus expeten-

tendam: at in ipſo aditu, plurimis animi concidêre, horrore difficultatum, quas imaginabantur: *Terra illa*, inquiebant, *deuorat habitatores.* Vt pulchra, vt fertilis ſit, nimio tamen conſtabit, nimia ſunt ſubeunda pericula, vt eam adipiſcamur.

II. *Prælud.* Pete gratiam à Deo, vt eius generis metus, & tanta animi puſillanimitas, te in via ſalutis non impediant.

I. *Punctum.* Mundus, Diabolus, Caro, Amor proprius, & Senſualitas perpetuò nos inſectantur, & ſuggerunt: nimijs difficultatibus, & incommodis ſeptam eſſe viam perfectionis, illam vel iſtam virtutem obtineri omninò non poſſe. Quid faciam? aurem præbere ijs debeo? ita videlicet ijs adnumerarer, qui ex ignauia ſemitam ſalutis deſerentes, iêre in æternam perniciem. Si eſſemus ad portas inferni, innumeros audiremus, qui non aliud horribili vociferatione clamitarent, quàm: *Ignauia nos, nos puſillanimitas, huc dedit præcipites.* Ex Purgatorio idem occinitur; & inter ſæculares quot ſunt, qui ob eandem puſillanimitatem

non adierunt clauſtra religioſa, quò tamen Deus eos vocabat, vt tantò ſecuriùs animarum ſuarum ſaluti nauarent operam; atque vtinam iſti non perirent? Quin igitur monitus exemplis aliorum audeo, & rem ago maximi momenti, quæque tam peculiariter ad me attinet?

II. *Punctum*. Non eſt negotium vſque adeò arduum, ſeruire Deo perfectè: ſola initia dum quis aſſueſcat, difficilia videntur, cætera vſu, & internis delicijs faciliora fiunt. Chriſti vox eſt: venite ad me; iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Quis ad hanc amoroſam inuitationem animos non aſſumat? S. Andreas crucem ſuam appellitabat *bonam, & diu deſideratam*; S. Paulus in infirmitatibus, in aduerſis, in cruce potiſſimùm gloriatur. Tot Sancti ab ætate ineunte (quamuis conditione præſtantes, habitu tamen corporis tenero, & delicato) difficultates omnes ludibrio habuerunt, feceruntque ea omnia, quæ facere ego poſſum, & debeo, & quæ cum diuina gratia, facturus ſum. Reuoca in memoriam

riam eos, quorum nosti virtutes, eorúmque stimulis te anima.

III. *Punctum.* Propone tibi difficultates omnes, quæ in prosequenda perfectione subeuntur: continuam corporis mortificationem, oppugnationem passionum; indolis rebellionem, respectus humanos, & eius generis plura: sed quid hæc, si cum præmio, eóque æterno conferantur? si cum pœnis infernalibus, quas hac tui victoriâ euadis? si cum incommodis, quæ mundi asseclæ subeunt, vt ad aliquem honoris, aut diuitiarum cumulum pertingant? quid hæc denique, si compares cum ijs, quæ IESVS tuus pro te? tanti dolores, tantum sanguinis effusum pro te, facilè promeretur, vt ei rependas aliquid laboris, si non sanguinem, & vitam. Resolutio, Magnanimitas.

Colloquium tecum. Nil magnum, anima mea, sine labore obtinetur. Hoc pretio, scientia, Principum fauores, & diuitiæ constant: nihil mundani omittunt, quo ad honores, & propositas sibi

dignitates grassentur. Iesvs manum tibi porriget, non deerit diuinum subsidium, ipsi Sancti tibi aderunt & exemplo, & patrocinio. Pater. Aue.

Recollectio Meditationis. Lectio Thomæ de Kempis fortuita. Rosarium. Visitatio Venerabilis Sacramenti. Cœna. Recreatio. Litaniæ Sanctorum. Visitatio Venerabilis Sacramenti. Pręparatio crastinæ Meditationis. Examen. Quies. Sed priùs statue te cras fore in surgendo diligentem, neque cum ceruicali tuo, vt mos est, disputaturum. Inde totius diei feruor inchoandus est, & exiguũ sanè fructum hodie retulisti, si matutinam illam diligentiam non proposueris. Molestiæ quidẽ nonnihil senties, sed quid refert? Angelum tuum tutelarem ora, vt te excitet, aut Patronum, cui religiosiùs afficeris, ne actionum tuarum primitiæ sint tepidæ, languentésque. Quam in rem occurrit: aliquando in festo S. Ioannis Euangelistæ, à S. Mechtilde visum Iesvm formâ pueri decennis, sorores è somno singulari quâdam gaudij testificatione excitantem, & S. Ioannem vni alicui assistentem, quæ peculiariter illi erat deuota. Hisce vale, & feliciter quiesce.

QVAR-

Moriendum est, & post hæc Iudicium. IV



QVARTVS DIES.

De ijs, quæ homini in extremis accidunt.

NIhil, Hagiophila, potentius conſideratione Mortis, & Iudicij, & Purgatorij, quæ illam conſequuntur, vt benè animam tuam diſponas, emundes, & optimis propoſitis munias. Qui enim horum cogitatione non euincitur, neſcio, quid commouere illum poſſit. Occupabimur ergo in his hodie, & quàm poterimus moderatiſſimè; nullam enim inferni mentionem facio, à quo te ſcio ſatis, & meritò alienam. Satis iſta, quæ dicturus ſum, ferient.

Viſita Venerabile Sacramentum, & ſi abſque arbitris es, ter terram deoſculare, vt te eâ die humilies, quo agnitura es te nihil aliud eſſe, quàm terram, & lutum. Faciebat id quotidie è lectulo conſurgens B. Franciſcus Borgia. Inde ad meditandum te diſpone,

MEDITATIO I.

De Morte.

Oratio præparatoria solita.

I. P*Raludium.* Imaginare te in extremis constitutum, offerri Christi cruci affixi imaginem, accendi cereum sacrum, atque intonari tibi à Sacerdote: *Proficiscere anima Christiana*, plurimis interim circùm orantibus, & animæ excessum præstolantibus.

II. *Pralud.* Roga Deum, vt mortis horrore te percellat, quo meliùs ad eam te pares.

I. *Punctum.* Decretum infallibile; *Moriendum esse*: hac iter est omnibus, & iuuenibus sæpe, & minimè arbitrantibus, & ijs qui robore corporis, & valetudine plurimùm pollere videntur; nemini mors parcit, omnes aggreditur, & pleno cursu: singulis enim momentis fit propinquior. Quare eò sæpe aduertamus animum, ne incurios adoriatur; & iam nunc faciamus, quod tum fecisse vellemus. Sibi benè non attendit, qui non semper attendit.

II. *Pun-*

II. *Punctum.* Vt morte nihil certius est, ita eâdem nihil est incertius. Et annus, & dies, & momentum, & locus, & modus, aliâque omnia morti adiuncta, incerta sunt. Percurre singula, & scito ab hac incertitudine seriam nobis sollicitudinem, & vigilem curam indici. Vigilate, monet Dei Filius, quia nescitis diem, neque horam.

III. *Punctum.* Mors corpori animæque terribilis: Corpus doloribus, & debilitate obruitur: quis tum modus orandi, peccata ritè expiandi, & attendendi sibi? si adest suprema lucta, peius est: visus deficit, & auditus, frigent extrema corporis, ipsúmque olere iam terram incipit & fœtere. Horrent, qui nobis seruiunt, & quibus delicatiores sunt nares, nos deserunt; cæteri cum molestiâ fastidióque circumstant. Miserum corpus inutile est, neque aliud mouetur quàm manus, quæ dum cortinas, & linteamina contrahunt, testantur, ægrum iam sarcinas colligere, & ad abitum se parare. Istud tibi subeundum est, ô corpus, quid

quid ergo iuuat me, tot blanditijs mulcere te? tum temporis, ſimul atque anima mea te deſeruerit, fies vitæ expers & motus, vermibus corruptioniſque obnoxius. Lecto & domo te efferent, vt non minùs memoriam tui, quàm te humo obruant.

Neque Mors minùs eſt terribilis animæ. Quis dolor, deſerere corpus tantoperè dilectum, tam molliter & blandè habitum, cuius maiorem curam quàm ſui geſſerit? quæ moleſtia, perpetuū vale amicis dicere, ſeparari ab ijs omnibus, quæ habebat in delicijs? relinquere opes & honores, quibus affectu tuo incumbebas? quantæ anguſtiæ ex patratorum ſcelerum recordatione, ex aſpectu dæmonum extremam pugnam indicentiū, & vitæ rationes exprobrantiū, ex incertitudine mox ferendæ ſententiæ, & loci, cui deputanda ſit? meritò hæc terrorem, & quidem grauiſſimum incutiunt. O felicem eo momento, qui Deo ſeruiuerit, mortificârit carnem ſuam, & huius voluptates, & delicias contempſerit!

Col-

Colloquium ad Sanctos, qui magnâ animi alacritate & ſolatio mortem obierunt: vtinam morte ſimili defungar! vtinam nihil me terreat in hoc vitæ exceſſu! vtinam in hac lucta mihi adſit præſidium SS. Matris, quæ toties alijs opportunè adfuit! vtinam tum tutelaris meus Angelus conuerteret in fugam hoſtes meos! vtinam frui liceret beneficio Sacramentorum! vtinam moriar amando Deum meum, & extremis ſuſpirijs ingeminando IESVS, MARIA, IOSEPH! Amen. Pater. Aue.

Reuiſio Meditationis, Electio Teſſeræ hodiernæ: fortaſſe arridebit hæc: *Moriendum eſt, & poſt hoc iudicium.* Vel illa Thomæ Kempenſis: *Quid prodeſt diu viuere? quando tam parum emundamur?* Quin proderit etiam ſæpe inſpectis manibus ſuis dicere: hæ aliquando manus à vermibus rodentur.

Sequitur Oratio vocalis, aut Officij, aut alia. Deinde Sacrum. Tum Lectio ſpiritalis, aut eius diſſertationis, quæ ſequitur, aut aliorum, quæ poſteà notabo.

DIS-

DISSERTATIO
MATVTINA.
Plurimùm referre, perspectas esse Mortis qualitates.

OLeum & operam perderem, Hagiophila, si tibi demonstrarem, moriendum esse: Tribus facibus ea veritas perpetuò nobis ob oculos ponitur: primâ sacrarum litterarum, quæ id in omnibus propè paginis decernunt; altera rationis naturalis, quæ luculentissimè euincit, cùm è terra, & quatuor elementis simus compaginati, nos interitui esse obnoxios; & tertiâ experientiæ: nam ab Adamo hucusque, hac omnes iuêre, & nos ibimus, & quotquot nos sequentur, ibunt. Solennis mortis est professio, ad hanc omnes homines spectant, seriùs, aut citiùs. *Eâ conditione intraui, vt exirem.* ait Senecâ, nullus, quantuscumque sit, ab hac lege eximitur. Et Deus post aduentum Filij sui, in capite Ecclesiæ mirum huius rei argumentum nobis proposuit. Summum enim illud Orbis caput peculiariter debet huic experientiæ

tiæ ſuffragari, ne exiſtimemus eos, qui dignitate cæteris præſtant, extra mortis ictum quoque conſiſtere. Elegans hæc animaduerſio, eſt Petri Damiani Cardinalis. Rogauerat illum Alexander II. quî fieret, quòd ad Sedem Pontificiam euecti tam citò viuere deſinerent, vt nec S.Petri annos aſſequerentur: reſpondit ille: Deum toti Mundo velle imprimere Mortis memoriam, illiúſque omnes admonere: cùm enim Papa vnicus eam conditionem obtineat, ſitque veluti Orbis Monarcha, vt Bartholus, & Accurſius loquuntur, ſimul atque mortem obit, certior redditur tota Chriſtianitas: per totum Orbem, cùm vbique Chriſtiani ſint, fama diuulgatur; itáque omnes mortis meminérunt, faciléque ſibi perſuadent, hac omnibus eundum eſſe, quà tantus præceſſit. Par ratio Summi Pontificis eſt in terris, quæ Solis in cælo. Quando hic Ecclipſin patitur, omnes aduertimus: diffuſæ per Orbem tenebræ produnt: ſi ſtella aliqua lumine ſuo priuetur, nemo id percipit, niſi fortè ali-

quis

quis immersus Astrorum studio Mathematicus: Ita si moriatur aliquis eorum, qui minoribus istis sideribus similes sunt, quis sciet præter vnius Vrbis, Prouinciæ, aut Regni incolas? cesserit verò fatis Pontifex, iam Sol oculis nostris ereptus est, nemo id ignorat. Quòd si accidat, constitutos in eo honoris fastigio non diu vitam prorogare, seruit hoc ad renouandam mortis recordationem, quæ ita frequentiùs fit, quàm si ea dignitate ad annos quinquaginta, vel octoginta fruerentur. Satis igitur notum est, Moriendum esse; sed nocet plurimùm, non esse satis naturam mortis, & qualitates perspectas: huius enim cognitionis defectu plurimi inueniunt se deprehensos in hora mortis, hoc est, seriùs, & eo tempore, quo prouideri nihil ampliùs potest. Nolim ego te hoc incommodo laborare, Hagiophila, & vt te eximam, quidquid mali animus meus de Morte, mihi suggeret, dicere aggredior: viuis eam coloribus à planta ad verticem depingam, Ordior à pedibus.

Mors

Mors cursor est, semper est in via & itinere, vt nos assequatur; noctu diúque properat incredibili velocitate. Tria dicuntur esse signa velocitatis: Primum, si maturè cursus inchoetur; at tam maturè incipit Mors, vt simul ac viuere incipimus, incipiamus etiam mori. Vnde, amabo te, dicebat Iob: *De vtero translatus sum ad tumulum?* Id veri similitudinem non habet, Princeps magne, dum hæc dicis: iam per multos annos vixisti, regnasti, affluxisti delicijs, etiam aduersantis fortunæ impetum excepisti in fimo: nullus adhuc feretrum tibi composuit, & aliquot centenos annos reliquæ tibi vitæ ominamur. Fare, quod lubet; ab ipso vitæ meæ exordio, ad mortē, ad tumulum abripior: dum te alloquor, eodem propero: ipsa verba, ipsæ actiones omnes, sunt continui ad mortem gressus. Secundum, si cursus non interrumpatur morâ, aut quiete; ita prorsus aduenit Mors. Vbique quietis aliquid conceditur, præterquàm in Mortis itinere: Bella suas habent inducias, pausas Musi-

ca,

ca, Viatores ſua interualla, & hoſpitia, Rabulæ ſuas ferias, ſuas vacationes ſtudioſi, quietem opifices: ſed nihil horum Mors habet; ſiue comedam, ſiue vigilem, ſiue quieſcam, ſemper illa pergit, accedítque. Quotidie morimur, quotidie pars aliqua vitæ noſtræ demetitur, *& dum creſcimus, vita noſtra decreſcit*, ait Seneca. Tertium, ſi ſumma diligentia conatúſque adhibeatur. Neque hoc Morti deeſt. Olim ſegniùs ire videbatur, & pede quaſi plumbeo. Centum, ducentis, quingentis annis, aliquando etiam diutiùs; vita ducebatur, nunc omnia intra ſexaginta & octoginta annos peraguntur. Quid mirum? nunc equo Mors vtitur. Ita illam equitantem vidit S. Ioannes cap. 6. ſuæ Apocalypſeos Scire eis, quàm feratur celeriter? planè inſtar curſoris: *Dies mei velociores fuerunt curſore.* a Inſtar nauis vento impulſæ: *Pertranſierũt quaſi naues poma portantes.* Inſtar aquilæ volantis: *Sicut aquila volans ad eſcam*, Solis inſtar, qui minutis ſingulis nouies mille, & quingentas leu-

a *Iob. c. 9.*

cas, & vnicâ horâ quingenta & ſeptuaginta leucarum millia decurrit: *Dies mei ſicut vmbra prætereunt.* a Vixerat Mathuſalem annis quingentis, ſed eam ætatem, quòd tam citò difluxiſſet, nihili pendebat; hiſtoria eiuſmodi eſt, fidei Authoris commiſſa: Poſtquàm tot annos vixiſſet, ferunt ab Angelo monitum, vt ex Dei voluntate domicilium ſibi conſtrueret, totidem omninò annis adhuc victurus; quid, inquit, domicilium ad vitam annorum quingentorum? ad ætatem tantillam? ſi plus non reſtat, quàm vixi, operæ manum non admoueo. Quidquid hactenus vitæ fuit, tantâ celeritate præterijt, vt nonniſi diem vixiſſe mihi videar. Non inducor, vt opus illud ſuſcipiam, quin enixè rogo, vt excuſatum me apud diuinam Maieſtatem velis. b Egregia vox magni Epaminondæ, affirmantis tam eſſe celerẽ vitæ humanæ curſum, eúmque tam breuem, vt præter tria verba vix dici quidquam viuenti poſſit. A Natiuitate ad annum

a *Pſal.* 143. b *In faſciculo temporum.*

num tricesimum, quid aliud dices, quàm *Aue*, ab anno tricesimo ad quinquagesimum *Ades*: post quinquagesimum verò dic illi *Vale*, ad occasum enim spectat, neque aliam, quàm de discessu suo admittere debet cogitationem. Optimè Thomas de Kempis: *Modicum est, quod cum tempore transit.* Vtinam, Hagiophila, quâ par est attentione, hunc ineuitabilem & celerrimum mortis accessum, expenderemus! Cogita, obtestor te, neque ampliùs anhela, vt menses annique transeant; transeunt enimuerò, etiam voto citiùs. Istud velim satagas, vt tam promptè ad Deum festines, quàm promptè Mors ad te accedit. Certatim agite, tu an Mors celeriùs properetis, illa ad te, tu ad Deum. Imitare illam, maturè incipe, procede sine interruptione, & summâ adhibitâ diligentiâ, & ita timere illam desine; nocere enim non potest, nisi ijs, qui gradum sistunt, aut vitam ducunt inertem.

Ab hoc incessu ad illius dolos transeamus. Fraudulenta Mors est, fallit, circum-

circumuenítque mortales & ruri, & domi, & vbique. Frustrà de hospitio homines solliciti sunt, velint, nolint, omnes ad mortem dolosam hospitantur; signum hoc domibus omnibus præfigi oporteret, seriùs enim aut ocyùs Mors fallet omnes inquilinos. Errare Veritas non potuit, dum dixit illam furis instar, cùm minimè putabimus, irrupturam. *Veniat Mors super illos, & descendant in infernum viuentes*, & iuxta aliam versionem: *Decipiat illos Mors*, inquit regius Propheta. Et verò tam dolosa Mors est, vt nemo illius dolos euitare possit. Decipit Iuuenes, quia licet plurima coæuorum suorum funera præ oculis habeant, sortem tamen illam ad se nondum spectare, arbitrantur. Fallit senes, nemo enim vsque adeò decrepitus est, quin speret vitam suam adhuc anno prorogandam, & vbi id assecutus fuerit, etiam sequentis anni spe se lactabit. Circumuenit infirmos, quia adulantur ijs Medici, recuperandæque valetudinis opinione imbuunt. Ipse humani generis hostis potiùs

tiùs Medici personam induet, quàm vt fallendi artificio Mors destituatur. In Franciscanorum monumentis proditum est, missum aliquando Massiliam à Diuo Francisco Fratrem Christophorum, virum sanctitate illustrem: accidit hic, vt ægrum adiens duos Medicos offenderet (erant pace tuâ, sic personati, Cacodæmones) qui ægro persuadebant leuem esse ægritudinem, miniméque periculosam, breui euasurum: Agnouit vir sanctus veteratores illos, eorúmque versutiam, quin & ægrum in statu esse peccati mortalis: quare signo Crucis manu formato, languentem commonefacit, & scelerum suorum Confessionem extorquet. Intereà ementiti illi Medici euanuêre, & otium moribundo fuit, vt feliciter obiret; vide igitur, fidéſne habenda sit talibus Medicis, aut alijs, qui mortis periculum dissimulant? sed qui maximè decipiunt infirmos, propinqui sunt qui discrimen celant, ne fortè illius gnari Testamentum, aut Codicillos conficiant, vel aliquid immutent, legéntque

alijs,

alijs. Infortunati amici, qui Proditorum officio funguntur, quíque has miseras animas decipiunt, quasi absque ijs Mors satis fraudulenta non foret! verùm, vos ægri, multò infortunatiores, quibus tam barbari, & ab omni humanitate alieni propinqui sunt, vt pluris faciant centum aureos, quàm animam, quæ vna omni auro, cunctísque terræ opibus præstantior est! In ipso etiam supremo articulo, Mors misero patienti imponit, persuadétque satis virium superesse, vt euadat, aut saltem viuat in crastinum. Adeò vt si de Confessione loquaris: Ah, inquiat, quietem mihi modò cedite, cras ista. At Cras illud ei non conceditur, nisi Cras æternum, quod illum in supplicia suis sceleribus debita præcipitat. Et posteà, opportunè scilicet, dicetur: præreptus est herus, abrepta est Domina, confitendi facultatem non habuit: multum eæ lamentationes illorum malis medebuntur. Ah quàm præstat, semper paratum esse, & viuere in amore Dei, ne Mors imparatos circumueniat! Felicem-

te, Hagiophila, quæ talibus occaſionibus exceſſiſti; Deo fida es, illum amore conſtanti proſequeris, inter eas verſaris perſonas, quæ tibi adulari neſcient, ſed candidè ſuggerent, adeſſe horam optatam, quâ abeas in amplexus ſponſi tui, te ſiſtas incomparabili Mariæ, & reliquæ Beatorum ſocietati adiungas

Addo præter ea, quæ dixi, Mortem eſſe contentioſam, rixíſque deditam. Eò tempore miſer infirmus plurimis in anima iurgijs, & exprobrationibus impetitur: *Ab eo qui portat coronam, vſque ad eum, qui operitur lino crudo, tumultus, fluctuatio vſque in diem ſepulturæ, & timor mortis, & contentio immutat ſcientiam.* a Deus nos obiurgat, exprobrátque gratias & inſpirationes, quas nobis per omnem vitā largiſſimè conceſſit: tot bona verba, quæ nobis ſuggeſſit, vt in aliorum vtilitatem loqueremur, erunt totidem teſtimonia, quæ nobis opponet. *Tot cōuincar teſtibus, quot me proficuis ſermonibus adiuuiſti.* Sed moleſtiſſima eſt tum

a *Eccli.* 40.

tum propria conſcientia; prior illa in nos inſurgit, & iurgiorum acerbitate potiſſimùm exagitat, Iuuenem noui genere, quàm moribus, nobiliorem, quem Mors, intereà dum ocreas inducit amicum aditurus; ſic adorta eſt, vt intra ſemihoram confecerit: nullum illi otium aliud fuit, quàm vt Conſcientiæ exprobrationes exciperet. Non adfuit tempori Confeſſarius. Eæ ſolùm voces, teſtes Mortis, & conſcientiæ reprehendentium, auditæ: *Miſella anima, quo ibis?* Impetit etiam nos dæmon, & ſtolidiſſimis imaginibus mentem noſtram diuexat, aſſerit nos in Confeſſionibus noſtris multa reticuiſſe, & cùm viuentibus magnam pacem indulſerit, morituros conatur perturbare, & amplificare peccata, quæ priùs leuia eſſe, & exigua perſuaſerat. Ne dubites, Hagiophila, tumultus & obiurgationes tum eſſe grauiſſimas, paucóſq; earum expertes eſſe: inuaduntur ſæculares; Heu miſerum me! exclamabat ſub mortem Secretarius nonnemo, viginti quinque papyri volu-

mina impendi litteris ſcribendis & obſequijs Domini mei; & mediũ folium bonæ Confeſſioni ſcribendæ non impendi. Ah quàm forem beatus (aiebat moriens Philippus III. Hiſpaniarum Rex) ſi vitam omnem in angulo deſerti alicuius traduxiſſem! impetuntur Religioſi: teſtis eſt ille, qui cùm aduerſus Regulæ præſcriptum in menſa micarũ collectionem neglexiſſet, vidit Morti vicinus diabolum horribili ſpecie, qui ſaccum micis refertum obijciebat oculis, vt eum terreret, turbarétque, & ſi fieri poſſet, etiam redigeret in deſperationem, à qua parùm aberat, niſi cæterorum Religioſorum vota, precéſque ſubueniſſent. Teſtis præterea ille in Societate noſtra adoleſcens, qui ab hinc aliquot annis in Gallia Narbonenſi fato proximus cum gemitu dicebat: Quid profuit Pindarum tanto ſtudio peruoluiſſe? quò nunc tot curioſæ Lectiones? itáne prius euocor, quàm legerim eâdem contentione, & aſſiduitate libros ad animæ ſalutem facientes, quíque amore Dei inflammare

potuiſ-

potuissent? Denique Sancti ipsi diuexantur: S. Elzearius hac ijt; hac S. Hilarion, qui vt se tutaretur, aiebat: *Egredere anima mea, quid times? septuaginta annis seruisti Deo, & adhuc mori times?* Breuiter: *Omnibus Mors obmurmurat.* Quò tendunt ea morientium suspiria, hi in cælum proiecti aspectus, illæ vultûs distorsiones, hæc dubia responsa, hæ voces intercisæ? quid significant ea manuum signa, is tremor membrorum? impetus sunt huius contentiosæ mortis, disputat, prouocat, contestatur. O molesta iurgia! ô graues exprobrationes! ô intolerandam prouocationẽ! ah! in supremo mortis agone mihi iam esse videor, & cum conscientia mea colluctari, videor hoste me inuadente obmutescere; deficere verba, quibus me tuear, neque aliud superesse, quàm vt cum Iobo Iudicem meum compellẽ: *O custos hominum, quid faciam tibi?* quâ ratione pacabo? ô benignissime & mansuetissime Seruator, meliùs non possum, quàm vt me abijciam ad pedes tuæ tremendæ, sed vnà etiam

etiam miſericordiſſimæ Maieſtatis, totóque cordis affectu exclamem: *Domine vim patior, reſponde pro me.*

Hagiophila, hæc omnia attentâ conſideratione expendenda ſunt, idque maturè. Et, ſi nos ſapimus, tu & ego, ne exſpectemus tempus illud, vt ad benè moriendum nos diſponamus; non erit tunc otium eâ de re cogitandi. *Fruſtrà parantur remedia, cùm mortis imminēt pericula*; ſcilicet, tempus ſit tunc arma poliendi, cùm ad tympani ſonitum hoſtis inuadendus eſt? tempus ſit excauandi tum terram, puteúmque perfoſſa rupe quærendi, quandò hauſtus ſiti pellendæ petitur? tum ſcilicet Medicus vocetur, quando æger animam exſpirat? ſera illa ſunt, alio tempore diſponenda; *Fruſtra parantur remedia, cum mortis imminent pericula. Miſer homo* exclamat Bernardus, *quare omni morâ te non diſponis? cogita te iam mortuum quem ſcis neceſſitate moriturum.* Hæc nobis agenda ſunt, & ſæpe reuocandum in memoriam, quòd Mors ſit Curſor, ſit deceptrix, ſit conten-

tentiosa; nihílque satiùs esse, quàm securum reddere negotium suæ salutis, & perfectionis, quandoquidem de æternitate agatur: *Nulla satis magna securitas, vbi periclitatur æternitas.*

Placet alia aliqua Lectio? lege cap. 19. 20. tract. 8. volum. 2. part. 1. Rodericij, vel cap. 23. primi libri Thomæ de Kempis.

A Lectione renoua deuotionem erga eos Cælites, qui sub mortem suis Clientibus adesse consueuerunt. Quò spectat caput vndecimum Fœderis à me conscripti. Maximi momenti est ea deuotio, vide ne negligas.

Sequitur præparatio sequentis Meditationis.

II. MEDITATIO.

De Iudicio particulari.

Oratio præparatoria consueta.

I. P*Raludium.* Imaginare Dominum aliquem, qui à seruo rationem exigat decem millium aureorum censûs annui, quorum administratio penes illum fuerit ab annis omninò triginta: rationem verò tam accuratam petit, vt scire etiam cupiat, quem vsum mini-

mus teruncius expenſus ſit. Eodem pacto cum hominibus aget Deus.

I. *Præl.* Pete à Deo gratiam, vt ita nunc rationes tuas ineas, vt reprehendi nihil in ijs poſſit.

I. *Punctum.* In Iudicio particulari, quod tum ſubitur, quando anima excedit è corpore, exiget Deus rationem totius vitæ noſtræ, etſi illa ad centum vſque annos producta fuiſſet, omnium, inquam, actionum noſtrarum; ah omniũ! omnium verborum etiam otioſorum, ah innumera ſunt! omnium cogitationum; ah infinitæ ſunt! eæque tam fatuæ, ridiculæ, & ineptæ! atqui vel idcircò ſubeundum eſt iudicium. Idcircò ad diuturniorem in Purgatorio pœnam damnabimur; denique ratio reddenda eſt omnium, quæ nobis acciderun ab eo tempore, quo vti ratione cœpimus, quæ interdiu, quæ noctu; quæ coram alijs, quæ clàm; quæ bona, quæ mala, ſecundùm intentiones, quibus ad operandum inducti fuimus; quorum etſi apud nos nulla extet memoria, nihilominùs omnia

mnia in arcanis Dei tabulis notata reperientur. Huic rationi, si subinde mortales animum aduerterent, tantáne viuerent libertate procaciáque? ipsi viderint, ad me quod attinet, deinceps aduertam, & ita supputabo singula tum meis Examinibus seu generalibus, seu particularibus, tum Confessionibus accuratis, vt & rationes dispungantur, & errores perfidiáue lacrymis & contritione diluantur.

II. *Punctum.* Iudex erit Christus IESVS, tantæ sapientiæ, vt falli non possit, qui excusationes de admissis sceleribus non recipit, qui occultissima cordium arcana perscrutatur, qui nullius veniam delicti ampliùs indulget, qui gratiam nulli, ne dilectis quidem sponsis suis, præstat, qui à sententia semel prolata non dimouetur; tantundem tunc tenax iustitiæ, quantùm priùs in misericordiam inclinabat. Iudex magne, quidni iam promerendis fauoribus tuis adlaboro? quidni te prenso, vt adsis causæ meæ, & causæ tanti momenti? quidni adeo te

ſæpius in Venerabili Euchariſtia, in Oratorio? quidni continuo te ſequor, vt miſerum animæ meæ ſtatum commendem? & dicam: Domine, non intres in iudicium, cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitnr in conſpectu tuo omnis viuens?

III. *Punctum*. Præſentes iudicio adſunt, IESVS, vt me iudicet, vel eius loco S. Michael inde Diabolus, vt me accuſet; tum Angelus tutelaris, vt proferat opera mea bona, & animam meam, vel in cælum, vel in Purgatorium deducat, ſi ea ſententia feratur; quemadmodum Diabolus condemnatas animas abripit in Infernum. Aderit etiam B Virgo, & cæteri ſancti Patroni mei, modò peculiaribus obſequijs, & ſingulari veneratione merear hanc gratiam. O horribile iudicium, etſi particulare! ab hoc enim particulari pendet ſententia, quæ in vniuerſali iudicio proferetur; quôque vel ad dextram, vel ad ſiniſtram collocabimur.

Colloquium ad IESVM, & SS. Matrem,

trem, in his enim summa præsidij spes est; ne tamen prætereas eos sanctos, qui morientibus assistunt, Aue maris Stella.

Recollectio Meditationis. Visitatio Venerabilis Sacramenti. Examen Conscientiæ, Prandium, Recreatio. Visitatio Venerabilis Sacramenti, Examen peculiare. Tempus scriptionis. Lectio spiritualis, quæ sequitur.

DISSERTATIO POMERIDIANA.

Prodesse ad bene moriendum, Tempus vtiliter impendere.

AVderemne, Hagiophila, primo statim aditu tibi proponere Paradoxum aliquod? id quidem à communi sensu videbitur alienum, quia tamen existimo verissimum, & plurimùm conferre ad ea, quæ sum dicturus, volens lubensque tibi patefaciam. Iuuenes opulentissimi sunt, & inter mortales omnes felicissimi. Istud est, quod in ipso huius dissertationis exordio proferre volui, neque fidem mihi deroga; nam tempus possident, quæ res totius

mundi pretiosissima est, idque vsu & emolumento maiori, quàm reliqua pars mortalium. Non puto te ignorare pretium Temporis. Familiare dictum erat S. Bernardi: *Nihil pretiosius tempore inuenitur.* Et rectè quidam Poëta asseruit, minimam eius portionem etiam cuicumque pretio antestare: *Non poterit pretio, vel breue tempus, emi.* Ludouicus XI. Galliarum Rex, singulis diebus vltimæ suæ ægritudinis, quingentos aureos Medico suo numerabat, vt ope medicamentorum tempus sibi prorogaret. Optimus ille Princeps auro argentóque tempus licitabatur, sed *non poterat precio, vel breue tempus emi.* Præsens aliquando adfui morienti Iesuitæ (cui molestissimum erat, quod in ætatis primo flore decedere cogeretur) cùm propius à morte abesset, dixit illi superior: Alexander (id iuueni nomen erat) quid à me petis? cedo, mi frater, quid desideras, quid postulas? Vitam, inquit, Pater mi. Vitam postulans, nihil sanè aliud volebat, quàm tempus, quo vita longiùs

tra-

traduceretur. Sed neque superior, neque alius aliquis, id dare poterat: cariùs est, quàm vt emi possit: *Non poterit precio, vel breue tempus emi.* Chrysaorius ille, de quo Magnus Gregorius, cùm à Dæmonibus citaretur, ad reddendam flagitiosissimæ suæ vitæ rationem, magnis vociferationibus obtestari cœpit, vt modicum aliquid temporis indulgerent. *Inducias vsque mane: Inducias vsque mane.* Quid non obtulisset ad exigui temporis vsuram? non pepercisset opibus, & facultatibus omnibus suis, si tam vili, tanta res venalis fuisset: sed *non potest precio, vel breue tempus emi.* Quod cùm ita sit, quis non videt Iuuenes, qui iuxta naturæ cursum, habent in potestate sua plus temporis, esse, in affluentia rei tam preciosæ, cæteris opulentiores, felicioresque? ego quidem nullus dubito; astringo tamen opinionem hanc; dicoque eos omnium esse opulentissimos, felicissimosque, qui bene tempore vtuntur: abundent enim Iuniores copia temporis, habeantque annos centum, si placet, transigendos; si

tamen

tamen tempus malè collocant, patiantur que interire rectè faciendi opportunitates, miserrimi sunt, atque egentissimi, quantumcunque viuant, neque finem sortiri possunt, nisi deplorandum. Vt dicto fidem faciam, in medium adduco, duas duntaxat propositiones, quarum hæc prior.

Quem æstimas diem anni serenissimum, optimumque? Non est Paschæ dies, neque is, quo Sol Oriens illustrioribus radijs emergit, nec ille, quo cælum omni nube detersa vestem cæruleam terris ostendit: Dies anni pulcherrimus, & optimus est ille, qui optime impenditur, & quo tempus congruentissime collocatur. Dies omnes, quos decurrimus, nihil aliud sunt, quam portio quædam, & specimen illius vnicè pulchri bonique diei, fortunatissimæ æternitatis Omnes dies quos ducimus, aut potiùs, qui continuâ serie nos ducunt, non sunt, nisi vigiliæ quædam & Vesperæ illius æterni diei: quatenus igitur illi referuntur ad serenum illum diem æternitatis (qui semper erit in vsu glorioso,

&

& amabilibus æquè ac admirandis occupationibus) eatenus dies sereni sunt, & boni. At, quem diem vocas benè impensum, quod tempus rectè collocatũ? an quando ab aurora in Vesperum, magna contentione studióque, operi cuicumque incumbitur? minimè verò. Sed quando, quidquid agitur, propter Deum agitur, eiusque ex amore. Etsi mancipij instar laborares, diffluerésque sudore, etiam sanguineo, nisi ad Deum referas, quidquid id est, vanum est, merissimaque insania. Si verò Dei causâ agis, tunc demum, ipsius Dei opulentiâ te ditas. Audi, quid aliquando dixerit IESVS homini comparandis opibus intento, quique tempus omne rei suæ familiari amplificandæ impendebat: *Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te, quæ autem parasti, cuius erunt?* Stulti nomine compellatur is, qui multùm desudauerat, tempusque suum anxijs laboribus insumpserat. Quis vero conferri, cum hoc stulto meretur? illum designat IESVS, dum subiungit: *Hic est, qui thesaurizat sibi, & non est in Deo diues.* Stultus

tus igitur est, quisquis sibi, non Deo laborat; sed eo labore se ditat, sed honoribus augetur, sed authoritatem acquirit, sed euadit in virum egregium, prudentem, admirandum, idque sua industria, adhibitoque conatu proprio; non refert, quanquam se redderet inter homines eminentissimum, mundi oraculum, omnium thesaurorum, opumque possessorem, nisi inter opes suas Deum numeret, eiusque gratia laboret, delirus est, & amens; *Hic est, qui thesaurizat sibi, & non est in Deo diues.* Frustra laborat, prodigit tempus, satiusque illi foret otio indulgere, quàm tam inani operâ se fatigare. Et hac ratione, accipiendum est illud dictum S. Augustini, quo asserit omne tempus perdi, quod amando Deo non impenditur. Quasi dicere vellet; Deum amare, non in eo consistere, vt tantùm quis actus diuini amoris exerceat: aliàs ad tempus bene collocandum opus esset, continuò prosequi hoc exercitium, quod in hac mortalitate fieri non potest; sed vt quis omnes actiones suas ad eum referat, eius-

que

que amori honorique ſtudeat: quiſquis id non facit, nullam temporis ſui habet rationem, ſed illud ſtolidiſſimè perdit. Videre cupis, tempus illud amitti, quod Dei amori eiuſque obſequijs non impenditur? animam aduerte ad Sacros Regum libros, vbi Saul nonniſi duobus annis regnaſſe dicitur, cùm tamen manifeſtum ſit, eum diademate coronatum publicéque regem habitum, per annos omnino quadraginta. Vtrumque iſtud ſacer textus aſſerit, quod tamen conciliari non poteſt, niſi D. Gregorio aſſentiamur, quòd cùm Saul duobus tantùm annis amauerit Deum, eique fideliter ſeruiuerit, reliqui regiminis nulla in Dei volumine ratio habeatur; ita vt anni triginta octo euanuerint, nobiſque inſigne relictum ſit documentum, plures nos vitæ annos numerare non poſſe, quàm quot benè vtiliterque impendimus. Ex quo in eam opinionem inducor, ſæpe nonnullos exiſtimare, quòd diu in Religioſo ſtatu vixerint, qui fortè nonniſi horam, aut diem vnicũ vixere, cùm propter Deum

pau-

pauca, plurima verò propter vſus ſuos, propter amorem proprium, tepidè ignauiterque peregerint. Reperies permultos, qui de decem, viginti, triginta annis, in Religione traductis, gloriabuntur, & erunt Tyrones ſex menſium, qui illos virtute anteuertent: vnde accidit, vt Deus hos, triginta, aut multorum annorum æſtimet, illos verò, paucorum, deſpectâ ea ætate, qua illi ad vanam gloriam, & oſtentationem plerumque abutuntur. Quæ res à Thoma Kempenſi has voces extorſit: *Multi computant annos conuerſionis: ſed ſæpe eſt paruus fructus emendationis.* Per Deum immortalem! cur non iſta nunc perpendimus, dum adhuc otium, & tempus ſupereſt? nuper Dæmonum aliquis ex obſeſſâ affirmauit, ſi Deus poſt extremum Iudicij diem, illi ſpei aliquid & temporis ad cælum promerendum commodaret, ſolum ſe pro Deo plura, quàm vniuerſos homines peracturum. Ante hunc, maiora dixerat alius; cùm enim rogaretur, quid maximè illum in Inferno affligeret? heu, reſpondit, quod tempus illud

illud, quod amando Deo, & beatitudini merendæ concessum fuerat, tam malè collocarim! plus tamen, quàm horæ semissem, Angelos rebelles non habuisse, communis fert Theologorum opinio. Nos, Hagiophila, qui tantùm temporis habemus, tot horas, tot dies, tot septimanas, quid agere nos non oporteret, vt ea benè collocaremus? non mouebunt nos exempla eorum, qui multum, sed frustra laborant, ijs similes quos D. Augustinus ait. *Bene currere, sed extra viam?* & pares illi, in quem vetus dicterium: *Saltauit benè, sed non in stadio?* plurimi huius sortis sunt, tum inter sæculares, tum inter Religiosos, qui plurium labores vni sustinent, sed nullo operæ fructu; quandoquidem sibi, suis cupiditatibus, suæ gloriæ, non Deo, laborant. Hæc exempla nullum stimulum nobis imprimen, vt rem pretiosissimam vtiliter, & cum fructu dispensemus? præsertim cùm occasio semel neglecta reuocari ampliùs non possit? Olim obtulerat se miles Alexandro Magno, promittebatque artem obtinendi

spatio

ſpatio ſex dierum ea nuntia, quæ alias viginti quinque diebus vix deferebantur. Ludibrio excepit Rex hominem, & à ſe repulit. Duabus horis pòſt, re maturiùs expenſa, hominem inquiri iuſſit, ſed fruſtrà; nuſquam enim ampliùs comparuit. Ah longè alia temporis iactura eſt, reperiri hic homo potuiſſet adhibita diligenti inquiſitione: at tempus quod præterijt, nulla poteſt ratione recuperari; recipi cætera poſſunt, non illud:

Damna fleo rerum, ſed plus fleo damna dierum,
Rex poterit rebus ſuccurrere, nemo diebus.

ingenioſè quidam cecinit. Et profectò ita ſe res habet: amittam enim decem aureorum millia, fortunas omnes, honorem, aliaque eius generis: deflere quidem lacrymis poſſum iacturam; verum Rex ſua munificentia reſtaurare omnia poteſt; at vbi dies meos, & tempus perdidi, nemo eſt, qui damnum reſarciat, perditaque reuocet. Vnde ſequitur vtendum eſſe tempore, dum in noſtra

eſt

est potestate, & quidem ad animæ salutem vtendum; quo nos inuitat Apostolus dicens: *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Et hic modus erit comparandi omnia, ad bonam mortem obeundam, necessaria. Vulgaris parœmia est, *qualis vita, talis mors*; si ergo vita bona fuerit, ex optima dierum & temporis vsura, non poterit non esse mors bona, gloriosa, talisque, qualem exercitatione earum actionum, quæ vitam nostram illustrarunt, intendimus.

Verùm enim vero non solis actionibus tempus rectè impenditur, sed etiam cogitationes multùm eò conferunt, & pariter atque illæ ad mortem bonam disponunt. Vt animi sententiam planiùs explicem, venio ad alteram propositionem, quam tibi promiseram. Eccum illam dignissimam considerationem.

Bonitas & sanctitas nostræ mortis à cogitationum nostrarum bonitate, sanctitateque dependet, ita vt, si viuentes bonis sanctisq; cogitationibus animum occupauerimus, certissima spes esse possit mortis bonæ. Ratio est, quòd mors

sit

ſit quædam Echo vitæ. Clames alicubi, vbi talis Echo reſonat: *Euge*: remittet illa vocem eandem *Euge*, & quidquid illi acclamaueris. Idem mors facit; & cogitationes, quas per vitam tantoperè volutauimus, hoc caſu recurrunt; & omnes affectus amoris, vindictæ, auaritiæ, aut ambitionis, quæ mentem noſtram, dum viximus, occupatam tenuere, etiam dum moriemur, occupabunt. Vnde vſuuenit, vt blaſphemus, Deique eiurator, moriatur blaſphemando, eiurandoque? vnde accidit, vt amens aliquis amator, moriens, non niſi de ſuis loquatur amoribus? & ita de cæteris deliris, & nimio rerum mundanarum affectu implicitis. Non aliunde iſta contingunt, quàm quòd Mors ſit Echo vitæ. Vnde eſt quòd Anglus ille, de quo Venerabilis Beda (cui vox erat familiaris: *Diabolus me auferat*) in voce eadem exſpirarit? Vnde aurifaber quidam, qui tota vita nullam aliam, quam de auro argentóque cogitationem admiſerat, petiit moriturus ab eo, qui auream Chriſti cruci affixi effigiem, ad pios animi

motus

motus excitandos, offerebat, quanti vncia veniret? Vnde ille fœnerator (cuius mortẽ paucis abhinc annis accepimus) cùm in extremis de peccatorum confessione admoneretur, postulauit, viline frumentum venderetur. & an bona spes foret vindemiæ? Vnde Prælatus ille, quem scio maiorem argenteæ suppellectilis, quàm conscientiæ curam habuisse, animam exhalauit, contrectans manibus sua salina, pelues, lancesque, quas in supremo agone, coram adferri iusserat? Vnde nobilis ille Sabaudus, qui omnem suum amorem Mulieri cuidam impenderat, obijt dicendo, iterandoque millies: Corculum meum, deliciæ meæ, itane auellor à te? nimirum Echo vitæ est Mors. Et, vt alterius quoque generis exempla proferamus, vnde est quod quædam S. Vrsulæ Religiosa, quæ in longa sex mensium ægritudine, sæpius solenne B. Victoriæ carmen iterauerat:

O IESV, mi dulcis Amor, nil diligo
præ te,
Tu sponsus meus es, Mens mea sponsa
tua est,

proximis annis Camberij obierit, hæc verba repetens? vnde eſt quod tot egregiæ animæ, quæ millies habent in ore: Viuat IESVS, MARIA, IOSEPH, idem in morte etiam ſuauiſſimè eloquantur? totum id inde accidit, quòd Mors ſit Echo vitæ: adeò verum eſt, cogitationes, & affectus, qui nobis familiares, & in vſu fuerunt, ſub id tempus recurſuros. Cui igitur bono eæ vanæ, inutiles, & forſan pernicioſæ cogitationes, ſiue Amoris, ſiue Vindictæ, quæ tantoperè inſident animis nonnullorum? Quorſum hæc Caſtella in aëre, hæ fictæ machinæ, illæ votorum Chimæræ, illæ vagæ imaginationes, quæ multis plurimas bonas horas ſuffurantur? nulli rei iſta ſeruiunt, niſi (præter Dei offenſam ratione perditi temporis) vt mortem quoque producant infelicem, & obitum in quo minima ſit de Deo cogitatio; quia enim mors vitæ eſt Echo, & finis tragœdiæ, quidquid in theatro comparuerit, iterum ſe ſiſtet, & eæ cogitationes cupiditateſque poſtremùm recurrent. Nonne præ-

præſtaret mentem, optimis cogationibus imbuiſſe, & hác etiam parte vtiliter tempus collocaſſe, vt omni modo mortem meliorem acceptiorémque conſequeremur?

Hæc omnia ſtimulant me, Hagiophila, vt alia, quã fecerim antehac, ratione tempus meum impendam; nec minùs te facturam exiſtimo, quin etiam ampliùs. Quòd ad me attinet, totus horrore concutior, quoties mecum reputo tanti iacturam temporis, tot actiones, quas ad Deum non retuli, tot vanas inutiléſque cogitationes. Heu! omnium iſtorum rationem exiget à me Deus. Quotidie mihi ferè ſeptem horæ ſunt, aut vt loquar, aut vt de diuinis rebus loquentes audiam, aut vt Deum orem, déque illo cogitem: elapſo anno, aut elapſis annis decem, quantus horarum numerus eſt, de quibus exquiret Deus, an, vti par erat, eas expenderim? Heu me! Quid dicam, cùm interrogabor de decem, aut quindecim millibus horarum Orationis, de viginti, vel viginti quinq; millibus quadrantium Examinis, & ita

de tempore aliorum meorum ſpiritualium Exercitiorum, ſecundùm ætatem, quâ ſum in obſequio diuino! ſcio quanto tepore, quantâ negligentiâ, quantis diſtractionibus, tam bonas horas conſumpſerim, vt taceam reliquum temporis mihi conceſſi. Subit hîc cogitatio, quod Deus quartam horæ partem Dæmonibus exprobrauit, quâ benè vſi non ſunt, ideóque cruciatibus æternis ſunt addicti. Et ego, qui centuriatim centuruias prodegi, quò deueniam, ſi Deus tam inſolentem exaggerare iacturā incipiat? reuoco hîc in mentem, plurimos eſſe inter damnatos, qui idcircò perierint, quòd aliquo ſemiquadrante, & momentis aliquot temporis abuſi ſint: & ego abuti pergo ſeptimanis integris, menſibus, annis, imò vitam omnem inutiliter conſumo, nihil propter Deum facio, ad me refero omnia; vbique & in omnibus me ſpecto, etiam ipſis cogitationibus, quas noctu diúque cohibere vix poſſum. Millenæ & millenæ euolant, & pleræque vanæ omnes, omnes ridiculæ, omnes ineptæ: interim

Deo

Deo, vt par foret, non seruitur, neque tempus mihi indultum, vti oporteret, benè collocatur. Quandocumque hisce considerationibus animum aduerto, fateor contremiscere me, & pænè apprehensionibus diuinorum iudiciorum absorberi. Erigor tamen, & solatio perfundor, quoties intelligo, posse me præteritam iacturam, resarcire bono vsu eius temporis, quod mihi superest, quantumuis exiguum & breue sit: tam vtiliter collocare istud possum, vt opes ingentes ipsáque sanctitas, inde mihi proueniat. Medius horæ quadrans, momentum vnicum temporis benè vsurpatum, magnos producere affectus potest. Testis est ille, de quo sacræ paginæ affirmant: *Consummatus in breui expleuit tempora multa.* B. Stanislao Kostkæ Tyroni, nouem menses suffecerunt, vt sanctitatem assequeretur; Aloysius Gonzaga, quatuor, aut quinque annorum spatio Beati titulum conditionémque promeruit. Hæ fortunatissimę animę modico tempore laborârunt, sed adeò impensè atque vtiliter, vt magnos apud Deum

fauores, & sublimem inter Cælites locum sint adepti. Quæ profectò animū aduersa me plurimùm solantur, vnáque animos addunt, vt rem omnium preciosissimam benè dispensem, neque in aliud crebriori cogitatione, maiori curâ, & affectu incumbam, quam in vtilem quæstuosúmque vsum temporis, mihi à Deo adhuc concedendi; credens mihi inculcari illud à D. Bernardo, quod cuidam amicorum suorum aliquando scripsit: *Esto, tibi multa annorū curricula restent; quid necesse habes amittere tanta tempora, tanta lucra? nihil pretiosius tempore. Transeunt dies salutis, & nemo recogitat.*

Si hęc non sufficiant, lege cap. 22. & 23. tract. 8. vol. 2. part. primę Rodericij, vel cap. 16. 17. & 18. lib. 3. de Imitatione Christi.

Sequitur Examen circa virtutem; ea, circa quam hodie te examinabis, erit Humilitas, prorsus è re: quandoquidem, Mortis consideratio, multùm ad hanc virtutem accendat. Hinc agnosce, num humilis sis.

EXA-

EXAMEN CIRCA HVMILITATEM NOBIS NECESSARIAM.

Primò, *Existimare se vilem, & abiectum, & ab alijs talem haberi velle, eligendo ex negotijs, & occupationibus ea, quæ viliora, atque molestiora sunt.*

Secundò. *Cæteros omnes sibi præferre, attendendo in ijs, dona Dei & gratias; & obstupescendo, quòd aliquis reperiatur, qui nostri dignetur meminisse, aut etiam aliquo nos amore prosequi.*

Tertiò. *Credere se ineptum, & inutilem ad boni aliquid faciendum; plurima nihilominus præstare, sed inde nullo modo gloriari.*

Quartò. *Sæpe animum aduertere ad suas miserias, relapsus & imperfectiones, inde sumendo occasionem se demittendi, paruique pendendi; peccatorum suorum grauitatem, vti merentur, agnoscendo.*

Quintò. *In omnibus actionibus nostris, quantumuis bonæ videantur, reperire quod carpamus, vt quæ refertæ sint imperfectionibus, quæ oculos nostros fugiant.*

Sextò. *Eligere ſemper incommodiſſima in corporis commoditatibus, quaſi melioribus eſſemus indigni, & communia onera libenter exactéq; ſubire, nullam immunitatem, aut exemptionem admittentes.*

Septimò. *Nunquam ſe aut ſua iactare, neque de vlla re loqui, tanquam authoritatem habentes, ne de rebus quidem ſpiritualibus.*

Octauò. *Fugere omnem curioſitatem, quæ ad animæ noſtræ benum, & ſalutem non ſpectat.*

Nonò, *Nihil vnquam in alios ſibi arrogare, neque faſtuosè, aut affectata quâdam grauitate incedere.*

Decimò. *Seſe alijs propter Deum ſubijcere, præſertim ſuperioribus.*

Vndecimò. *Omnem honorem, & bona, quæ nobis conferuntur, ad Deum referre, indignos nos reputando, & auerſando, ſi fortè hinc ab alijs laudemur, aut æſtimemur.*

Duodecimò. *Non exiſtimare ſibi aliquam prærogatiuam, aut honorem deberi, ſed in congreſſibus poſtremum locum occupare.*

Deci-

Decimò tertiò, *Non turbari aut affligi, quòd aliquid in nobis fit, vnde reddamur contemptibiles, aut quòd ſimus inter eos, qui ſunt abiectæ conditionis.*

Decimò quartò, *Non excuſare admiſſam culpam, ſed eam candidè agnoſcere.*

Decimò quintò, *Omnia aliorum dicta factáque approbare.*

Decimò ſextò. *Declinare omnem loquendi, aut agendi modum, quo videamur honeſto loco nati, aut aliquando in ſæculari dignitate fuiſſe.*

Decimò ſeptimò. *Sibi ob proprias imperfectiones iraſci, ſeque ſeriò reprehendere, & gaudere, quòd alijs noſtræ miſeriæ ſint perſpectæ.*

Peracto hoc Examine recita Officium, aut alias Orationes vocales. Inde aggredieris hanc Conſiderationem.

CONSIDERATIO.

I. MIrabiliora verba non reperio, quàm hæc tria: Semper, Æuum, Æternitas, quò plus ea meditor, eò magis me angunt. Futurus ſum ſemper, & in Æuum futurus ſum corpore, & animâ, vel in æternitate tormentorum, vel

æternitate deliciarum, idque pendet ab arbitrio & electione meâ. O mira verba! ô ſemper! ô æuum! ô æternitas! nunquam animo meo excidite!

II. Inſignis amentia eſt, laborare pro rebus caducis, & quæ pereunt vnà cum tempore. Optimus is labor eſt, qui Æternitati impéditur. Quis iam meminit fortium illorum, qui vitam & ſanguinem in bellis, in Regum obſequijs prodegerunt? quis recordatur eorum Diuitum, qui tot ſudores periculáque congerendis opibus exantlârunt? quis iam loquitur de formoſis illis, quæ omne ſtudium ſuum colendæ pulchritudini, vanitatique ſectandæ impenderunt? hæc omnia ſepeliuit obliuio: nónne igitur ſatiùs eſt, ijs actionibus incumbere, quæ vitam promerentur carentem fine, quæque à Deo approbabuntur, & notabuntur in annalibus feliciſſimæ æternitatis?

III. O quantus ille eſt, cui ſeruio, & quàm tremendus, quandoquidem etiam cogitationum mearum ſibi dari velit rationem? Verùm id ita eſſe, vehementer gau-

gaudeo. Millies millenas concipiam, quæ illi erunt acceptæ, quæque illius amorem beneuolentiámque mihi conciliabunt: nullam vnquam cogitationem admittam, quæ illum à me auertat. Nimium, heu! antehac tempus perdidi, nolo, nolo perdere æternitatem.

V. O Deus, aliquàne stoliditas est, quæ cum nostra debeat comparari? Mortem timemus, quæ nobis aditum ad pulchram æternitatem patefacit; horremus illam, quæ nos carceris nostri calamitatibus liberat; & illam fugimus, etsi nos eximat occasionibus offendendi Deum nostrâ peruersitate. Adesdum amœna, amanda, & desiderabilis Mors. Nunquam mihi prematurè aderis. Nunc quando te perspectam habeo, de te potissimùm cogitabo, te amabo. Vituperet quisquis volet, volo mortem amare, vt amem Deum.

V. Vix adducor, vt credam mihi non fuisse locum iam in inferno designatum, méque alicuius sanctæ animæ patrocinio esse reuocatum in spem cæli conse-

quendi. Digitis duobus abfui ab inferno, & proximus vt perpetuò priuarer aspectu IESV, & MARIÆ. Ah quid me facere non oporteret, vt gratus forem tanto beneficio! serò nimis morior, nimis diu ignoro, cui debeam hanc inæstimabilem charitatem. Scio quid loquar, sum filius lacrymarum, & suspiriorum: sed cuius? istud est, quod adhuc nescio.

VI. Multùm esset, si euitare possem Purgatorium, & flammas illas incredibiliter excruciantes; sed quis modus? quandoquidem me tantoperè reddam obnoxium peccando, & tam parum satisfaciam patiendo? saltem illic parùm detinerer! sed audio diuinitùs manifestatum, quod è nostra Societate quidam quatuor annos illic detentus fuerit, etsi in magna virtutis opinione vitam traduxisset; & nobilem quandam puellam totis quingentis annis, ob aliquam vanitatem, quâ iuuenum animos offenderat. Quod si ita est, iam ad triginta, vel quadra-

a *Ex Annal. SS.*

b *Ex Alano Ord. S. Dominici.*

draginta annos, quin forſitan ad finem vſque Mundi, flammis illis terribilibus deputatus ſum, niſi mortificatione, alijſque pœnis vitam meam expiem.

Adeſt hora quietis, & deinde Orationis vocalis, vel Officij. Viſitationis Venerabilis Sacramenti, & demum diſpoſitionis ad ſequentem Meditationem.

III. MEDITATIO.

De Purgatorio.

Oratio præparatoria conſueta.

I. P*Ræludium.* Imaginare ingentem lacum plumbi, vel æris fuſi, & prorſus igniti, qualis ſolet eſſe materia fundendis campanis præparata, & in hac ardentiſſima lebete, vide plurimas animas miſerum in modum cruciari. O triſte ſpectaculum!

II. *Prælud.* Pete lumen, vt agnoſcas, quis ſit hic ignis, & quinam in eo torqueantur.

I. *Punctum.* Pœnæ Purgatorij & eorum, qui hoc lacu continentur, ſunt eædem, quæ Inferni, præterquam quòd

æternæ non ſint, quódque is, qui illas patitur, non ſit Dei hoſtis, neque priuatus donis & gratijs, quas viuens conſecutus eſt: idcircò neque deſperat, neque maledictis in Deum & alios inſurgit, imò ne minimum quidem impatientis animi ſignum præbet, ſed cum incredibili reſignatione cuncta de manu Dei accipit in ſatisfactionem ſuorum peccatorum. Ah quidni corrigo mores meos! quidni deſero paruam illam & vanam agendi libertatem, quâ diuina bonitas ſic irritatur, vt me huic incendio ſit adiudicatura, & quis ſcit ad quantum temporis interuallum!

II. *Punctum*. Pœnæ ſenſus erunt horribiles. Quantùm erit, præ oculis continuò habere inuſitatas dæmonum ſpecies, adeóque horrenda ſpectra, vt ea nunc ſine animi deliquio ſpectare non poſſemus? quid, auribus haurire blaſphemias & vociferationes eorundem diabolorum? quid alia ſenſuum aliorum tormenta? vri & peruri eo igne, cum quo ſi noſter focus comparetur, non

alius

alius quàm coloribus expressus ignis esse videatur? magnam sibi profectò iniuriam faciunt mortales, dum corpus non affligunt, neque conantur pœnitentijs redimere tormenta vsque adeò terribilia! vnius horæ doloribus integrum annum Purgatorij commutare possent. At mecum ista: pergámne ego tam esse profundo stupori immersus, vt mihi parcam, neque obediam tot instinctibus, qui clamant, tandem tempus esse, vt macerationibus corporis alijsque bonis operibus res meas disponam?

III. *Punctum.* Tormentum præterea erit maximum, non videre faciem Dei, neque illam B. Matris, & tot dilectissimorum Sanctorum, qui nos exspectant. Quod si verò id diu, & ad plures annos differatur, ô quàm intolerabilis est hæc mora! esse præ foribus cæli, & tamdiu ingredi non posse! mortem optasse idcircò, vt in conspectum Dei admittereris, & excludi nihilominùs tanto temporis interuallo! quis non summo commiserationis affectu moueretur, qui videret

deret prolem aliquam, quæ ſolo Parentis videndi deſiderio à centum milliaribus aduolaſſet, ſtatim ab aduentu damnari ad panem & aquam, ad humicubationem, totóque anno excludi Parentis alloquio, & conſpectu? magnò mihi ſtabitis peccata mea: ſcilicet, licebit olim inter flammas gemere, & ingeminare: *Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me!*

Colloquium ad Angelum Cuſtodem vt iſto tempore me ſoletur, vtque viuentes præſertim amicos excitet ad orandum pro me, & impetrandum à Deo, vt B. Virgo temperet dolores meos; tum vt exaudiantur ſacrificia & preces, quæ pro miſera mea anima offerentur.

Recollectio. Lectio fortuita Thomæ de Kempis. Roſarium. Viſitatio Venerabilis Sacramenti. Cœna. Recreatio. Litaniæ Sanctorum. Viſitatio Venerabilis Euchariſtiæ. Præparatio Meditationis craſtinę. Examen. Somnus, ſed priùs Mortis recordare, & quam ſis ſedem totâ æternitate habitura.

QVIN.

Inspice, & fac secundùm Exemplar. V



QVINTVS DIES.

De virtutibus in infantiâ, & vitâ latente Seruatoris nostri imitandis.

EXcessimus, Hagiophila, viam Purgatiuam, & Illuminatiuam ingredimur, vt trium sequentium dierum spatio insistamus considerandis ijs virtutibus, quæ plurimùm in vita & Passione Iesv Christi, optimi Magistri nostri, eluxerunt. Hodie eius Infantiam & vitam latentem inspiciemus.

Saluta Venerabile Sacramentum, & ad meditandum te dispone.

MEDITATIO I.

Quòd Deus nobis dederit Filium suum, vt eius virtutes imitemur.

Oratio præparatoria consueta.

I. P*Ræludium.* Imaginare Regem aliquem, qui de Moderatore excellenti prospicit Filio suo, vt illum in moribus, & totâ viuendi ratione instruat. Docet illum igitur moderari gressus, sermonem ornare elegantijs, vestes aptè com-

componere, & reliqua, quæ ſcire Regulum oportet.

II. *Prælud.* Cùm Deus ſit iſte Rex, qui nobis Filium ſuum propoſuit in exemplar actionum noſtrarum, pete gratiam, vt eum proximè imitando aſſequaris.

I. *Punctum.* Ex pluribus rationibus, propter quas Deus nobis dedit Filium ſuum, præcipua eſt, vt illius verbis, & exemplo diſceremus, quid credere, quidque agere ad conſequendam noſtram ſalutem nos oporteret, fieremúſque hac ratione illi quàm ſimillimi. Non vult nos vti alio Magiſtro, quàm Filio ſuo, vnde in monte Thabor hanc vocem detonuit: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite.* (Matth. 17.) Et ipſe Filius de ſe: *Magiſter,* inquit, *veſter vnus eſt Christus.* (Matth. 23.) Et alibi (Ioan. 13.) *Vos vocatis me Magiſter, & Domine, & benè dicitis, ſum etenim.* Nam propterea *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Dederat olim Deus hominibus plurimos eximios Sanctos, Enoch,

Enoch, Moyſen, Ioſue, Dauidem, & alios in exemplum: ſed cùm nemo illorum numeris omnibus eſſet abſolutus, tandem placuit eum proponere, videlicet Filium ſuum, in quo nihil carpi poſſet, nihil deſiderari: Ita vt hoc ſolùm nunc deſit, vt quemadmodum ipſe fecit, ita & nos faciamus. Deſiderium, gratiarum actio.

II. *Punctum.* Æquiſſimum eſt, vt IESVM Chriſtum imitemur. Nam primò hæc eſt amoris certiſſima teſſera. *Qui dicit ſe in ipſo manere,* hoc eſt, diligere, *debet, ſicut ille ambulauit & ipſe ambulare.* Ita Filius Parentem imitatur, Diſcipulus Magiſtrum, Ducem Miles. Secundò in eo ſita eſt perfectio noſtra: cùm enim Deus perfectiſſimus ſit, imò ipſa perfectio, fieri non poteſt, vt ei fiamus ſimiles, quin vna eadémque opera reddamur perfecti, expreſſione videlicet virtutum eius, quantùm eas exprimere fragilitas humana poteſt. Tertiò deſiderat iſtud à Filijs ſuis Mater Eccleſia, deſiderat Communitas, in quâ viuimus, deſiderant

rant Superiores nostri, vt omnes fiamus Christuli, iuxta illud, quod Galatensibus vouebat Apostolus: *Donec formetur in vobis Christus.*

III. *Punctum.* Lucifer hinc allicit homines, vt illum sequantur, promittit voluptates, honores, & diuitias; omnem agendi libertatem permittit; interim tegit ea, quæ post hanc vitam illis euentura sunt, intolerabilia per totã æternitatem tormenta. Nihilominùs innumeri, qui præsentia tantùm habent præ oculis, illum sequuntur, & pereunt. Inde IESVS etiam homines inuitat, vt per contemptum rerum caducarum, per suiipsius abnegationem, per semitam virtutum, quam ipse tenuit, illum consequantur, & cælum æternámque omnium bonorum possessionem; mercedis loco, promittit. Anima mea, quid sequi lubet, an voluptatem temporaneam, & pœnam æternam? contemptum an honorem? paupertatem an diuitias? vitium an virtutem? Luciferum an IESVM?

Colloquium ad Seruatorem, quem tibi

tibi Magistrum elegisti, & ad SS. Matrem, vt te Filio suo commendare dignetur. Pater. Aue.

Recollectio. Electio Tesserę. nescio an hęc tibi arridebit: *Viuat IESVS, viuant quotquot illum diligunt.* An forsan ista; *Gloria magna sequi Dominum.* Num seuerius illud dictum D. Pauli? *Qui non amat Dominum IESVM, anathema sit.*

Sequitur Oratio vocalis, aut Officij, aut alia. Sacrum. Lectio spiritalis de Amicitijs particularibus, quę magno detrimento sunt illi amori, quem Christo debemus.

DISSERTATIO MATVTINA.

De particularibus Amicitijs.

SI istud dicerem, Hagiophila, non ineundas esse particulares Amicitias, fortasse in vultum mihi inuolares, & ægrè arcere possem violentiam tuam, adeò suauiter illi vitæ humanæ commercio addicta es. Ne indignare, loquemur ex voto tuo; & quia ratione duceris, polliceor me nihil in medium allaturum, quòd non sit maximè consentaneum rationi, & scio istud à te desiderari.

ri. Enimuerò contrahendæ amicitiæ sunt : quis enim dubitat? naturâ ad amandum ferimur, negari non potest, ad hoc habemus cor: Amicitia elementum est, in quo viuimus; Amor est Sol, qui lucem, qui vitam impertit: soli barbari, & ab omni humanitate alieni, in illum intueri non possunt. Ipsæ sensus expertes creaturæ hoc sidus adorant, & amare satagunt:

Ipsa suas etiam patiuntur sidera flammas,
Ipsum etiam, credo, nouit amare mare.

Plurimum me cepit ingenium illius, qui vt hanc veritatem illustriùs ob oculos poneret, subtili admirandóque Emblemate duos Amores, Geniorum habitu, ludentes pila expressit: pila hæc Mundi formam figurámque præferebat; vt hoc præclaro inuento doceret, Mundum, & quidquid eo continetur, solius Amoris tactu impulsúque promoueri, résque omnes, quantùm cuiusque vires patiuntur, huic esse affectui subiectas. Profectò si id creaturis omnibus accidit, quomodò eximemur nos, quibus cor est, vbi

Amor residet, & quod vnum ineundis, admittendis, conseruandísque Amicitijs est aptum? quidquid erit, miseri erimus, si absque Amore, si Amicitijs destituti. *Væ soli*, ait Sapiens, *quia cùm ceciderit, non habet subleuantem se. Quis est ille solus*, exclamat D. Augustinus in hunc locum, *quis est ille miser? ille*, inquit, *solus est, qui sine Amico est.* Tanti est, fidelem habere Amicum, vt vel solus illius aspectus temperandis propulsandísque animi ægritudinibus & molestijs sufficiat, quòd olim Euripides quoque cecinit:

Adferre amico maximum solatium
Præsens amicus, rebus afflictis solet.

Bonus Amicus incomparabilis thesaurus est; vnde Alexander Magnus cùm interrogaretur, vbi thesauros haberet reconditos, demonstrans eos qui peculiari Amicitiæ vinculo illi erant obstricti, hi, inquit, thesauri mei sunt. Verus Amicus, est summa huius vitæ felicitas, eiusque iactura satis defleri non potest. Hinc Prometheus, qui olim Ægyptijs

leges

leges tulit, docebat nihil æquè deplorari debere, atque Amici iacturam: cætera omnia esse instabilia, & arcæ, aut domûs angustijs contineri, Amicum verò animum atque cor occupare. Sed quid pluribus est opus? omnia verbo astruit Sapiens: *Amico fideli nulla est comparatio, & non est ponderatio digna auri, & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis, medicamentum vitæ & immortalitatis.* Quare non miror, plurimos etiam Sanctorum fidis Amicitijs adhæsisse. S. Cyprianus Episcopus Carthaginensis complexus est Cæcilium suum: Basilium Gregorius Nazianzenus, & (ne diutiùs immorer rei manifestæ) Petrus Paulum, de quibus prope quotidie canit Ecclesia: *Gloriosi Principes terræ, quomodo in vita sua dilexerunt se, ita & in morte non sunt separati.*

Hisce positis, quâ fronte particularibus Amicitijs bellum indicerem, quo iudicio eas condemnarem? non facio. Omninò amandum est, fidelis Amicus habendus est. Abnuere nemo potest, nisi for-

fortè Timon ille Atheniensis, ille Misanthropus, hominum osor, ille de quo merita vox: *Nec amat, nec amatur ab vllo.* Fidus & sincerus Amicus quærendus est, & in hoc particularis amicus consistit. Itáque factum tibi satis, Hagiophila, vterque nostrûm opinione & sententiâ conspirat. Sed audi reliqua, quæ dicturus sum, fortasse minùs consentire videbimur.

Verum est, concessas esse Amicitias etiam particulares, cùm fidelem Amicum habere permissum sit: sed in eo vertitur cardo difficultatis, vt talem aliquem nanciscamur, cum quo iniri contrahíque sincera possit Amicitia.

Melopepones Amici
Nunc temporis videntur,
Sunt plurimi probandi,
Vt vnus approbetur.

Malum Amicum reperire, procliue est, at bonus, ne in Centuria quidem, inuenitur; & inde electio difficillima est, quòd intentiones & proposita eorum, qui se nobis Amicos simulant, ignoremus.

mus. Nonnulli Amicitias ineunt ex quadam naturæ inclinatione, quòd exterior tua ſpecies, tua forma, tua indoles & comitas, tuus conuictus & ſermo illis arrident; læto iucundóque ingenio es, facetijs, iocis, epulis, temporéque hilariter ducendo delectaris, hinc te complectuntur. At iſta veri Amici nota non eſt, Amor iſte eſt concupiſcentiæ, non bona ſinceráque amicitia; ſimul atque forma defluxerit, perierit decor, copia, & valetudo; diffluet peribitque Amicus. Illi verò Amici non ſunt, qui tam facilè Amicitijs renuntiant, imò ſecundùm Ariſtotelem: *Non eſt Amicus, quiſquis amare deſijt.*

Alij amant ideò, quia amantur. Maledicta lex, aiebat S. Tereſia, ideo redamare velle, quòd amer! & reipſa, ſatis non eſt, vt eum deligam Amicum, qui me amat: quid enim ſcio, an habeat conditiones veræ amicitiæ ſtabiliendæ requiſitas? an non peruerſo aliquo ad me amandum affectu compellatur? an non Amorem externâ ſpecie tantùm ſimu-

ſimulet? priùs ſalis modium cum illo comede, vt illum explores & tunc demùm, citra periculum, aliquid de amicitia decerne.

Alij alios diligunt, quos reperiunt, pronos in omnem viuendi libertatem, qui ſceleratus Amor eſt hominum libertinorum, qui Deum non timent, qui vnà nequitijs ſe dedunt, quorum vſus eſt alijs obtrectare, murmurare, coire in conuenticula, à communibus officijs, & Regularũ obſeruatione ſecedere, quandam morum inſolentiam & immoderationem induere, verbo: qui ſunt inferni pabulum: *Stupa collecta, ſynagoga peccantium.* Pernicioſiſſima iſthæc Amicitia eſt, qualem Latrones ineunt, nullo alio nixam fundamento, quàm malitiæ, & flagitiorum, in quæ conſpirant. Nunquam ſubeat iſta animum tuum cogitatio, inter eas perſonas veram eſſe amicitiam, quæ Dei timore non tanguntur. *Non poteſt*, inquit D. Ambroſius, *homo homini eſſe Amicus, qui Deo fuerit inimicus.* Aliqui amant, vt Amicorum co-

piâ & authoritate ſtabiliant res ſuas, itáque ſe, & emolumentum ſuum ſibi propoſitum habent, vel vt ſatisfaciant genio, & pruritui ſuo: non tam amare ipſi, quàm amari ab alijs volunt, ſimiles Cani villoſo, qui obuijs omnibus blanditur, adulatúrque; vel denique ob alia motiua à tramite bonæ ſinceræque amicitię aberrantia. Quis nunc modus è tanta permiſtione variarum intentionum, quibus duci homines poſſunt, inter tot fraudes & inconſtantias, verum ſincerúmque diſcernere & deligere Amicum? vis modum illum tibi patefaciam? vt benè deligas, nullus deligendus eſt. O, Hagiophila, ſcires, quantis damnis & periculis ſeptæ ſint Amicitiæ particulares, nunquam crederes te illis, ſed veneni inſtar, & peſtis deuitares. Tribue hoc mihi, ne te ijs committas, niſi velis libertatis tuæ iacturam facere, & cor tuum redigere in ſeruitutem. An non eſt eſſe mancipium vinctúmque, ſemper mentem habere vni creaturæ obnoxiam? ad illam noctu diúque anhelare? ijs deſide-

rijs

rijs indormire? ſæpe noctem inſomnem ducere? ſi præſens adſit, iam deſeri non poteſt, defigi in illam obtutus debent, tangere opus eſt, manum apprehendere, teſtificari, quòd illam amemus, exprobrare illi frigus affectûs ſui, permittere, vt viuat arbitrio ſuo liberè, neque carpere audemus vitia illius, ne offenſa aliquid de ſuo erga nos amore remittat. Si euigilamus, prima animo occurrit, ſi dormimus, eius imago ſomniantibus obijcitur. An non iſta inſolens quædam ſeruitus eſt? Ex hiſce malis ruitur in peiora, ex ſeruitute in ingens tormentum delaberis. Quod tormentum grauius eſſe poteſt, quàm quando diuelli oportet? quando accedit æmulatio? quando credis te non amari? quando langues expectatione eius, quem diligis? quando longiùs abeſt id, quod amas, & metus eſt, ne non redeat, aut nonniſi poſt diuturnum temporis interuallum? quando cogeris ad conferenda munera, & noua affectûs tui argumenta? quando diuinam abſentiam ferre non potes, & nimiâ ſollici-

tudine nuntium de illo expetis, vix rei alterius memor? nónne hoc insigne tormentum est? sed ista tanti non forent, nisi conscientia quoque læderetur: quando vnà sunt, liberè animus effunditur; maledicitur, obtrectatur, murmuratur, iudicia & suspiciones de hisce aut illis referuntur, conspiratur, violatur silentij lex, regulæ & ordinationes Communitatis; tempus teritur, de rebus suis multus sermo, mutua adulatio, excusatio reciproca suorum vitiorum, de rebus diuinis altum silentium, aut si ab his factum initium est, tandem deflectitur ad colloquia inepta, nugatoria, vana, testantia mutuum affectum, & cuius satis amplā significationem dare non possunt. Ipsa etiam sæpe Castitas periculo exponitur, præsertim inter iuniores: isti blandi aspectus & diu defixi, hæc suspiria, hæ voces truncatæ, quæ primo aditu omnem personarum affectum prodere non audent, illi gestus alij, qui etiam sine voce loquuntur, vim inferunt, flammas excitant, & inordinatis cogitationibus animum,

mum, & corpus prauis morionibus affligunt. Quòd si hæc amicitia vigeat inter personas diuersi sexûs, væ! longè certius discrimen est. Et quî non esset, quandoquidem inter eos, qui eiusdem sunt sexus, nimis quàm sit manifestum? constat aliquos eousque exorbitasse, vt actiones admiserint igne publico expiandas.

Et vt ista non essent, profectus animæ, propria perfectio, & virtutum exercitium negligitur. Raro videbis eas personas, quæ hisce affectibus adhærescunt, ad aliquem virtutis gradum promoueri. Et fieri non potest, quandoquidem Deî Amor apud illos exiguo loco pretióque sit. Hæ animæ non amant Deum ex toto corde, quantumuis id externâ specie præseferant, verbóque multùm protestentur, non inducent me, vt credam. Diuisum cor illarum est, partem Deus, partem Amicus, vel Amica occupant: quod creaturæ superest, Deus obtinet, nam diuturniores, & impensiores cogitationes illam spectant, reliquum Dei est; cùm certissimum sit, tantundem

Amoris demi Creatori, quantum impendimus creaturæ. Optimè S. Augustinus Amorem manui comparat: *Putate*, inquit, *Amorem hominis, quasi manum animæ; si quid tenet, tenere aliud non potest: ideò qui amat aliud, Deum amare nõ potest, occupatam habet animam.* Manu teneas aureos quinquaginta, si eadem apprehendere manum meam velis, illámque stringere, necessariò aurei illi dimittendi sunt; ita prorsus se habet, quamdiu manus amoris aliqua creatura, quam diligis, occupatur, fieri non potest, vt amabilissimus Deus debitum ibidem locum obtineat. Quare iterum te obtestor, Hagiophila, vt hisce particularibus Amicitijs te expedias. Insana es (præsertim si adhuc ætate flores) nisi missas facis ineptas hasce animi tui occupationes. Id aio, quòd sciam hoc proprium esse iuuentuti, vt similibus studijs affectibúsque dent operam. Exime, exime te his omnibus, assere libertatem tuam: ne vltrò te tormentis, & horum indiscretorum perturbationi subijce,

gere

gere curam conſcieniæ, & perfectionis tuæ, neque puritatem tuam diſcrimini exponas: fac vt Amor Dei in te dominetur, & in corde tuo veluti throno ſuo reſideat; ſi aliqua prætereà amanda perſona eſt, ametur moderatè, non efflictim, non anxiè, ſed eo pacto, vt Communitas, in qua degis, carpere nil meritò poſſit, neque offendi, cum illo Dei timore, vt nullum, ne veniale quidem, peccatum admittatur, nunquam vlla Regula violetur; eâ compoſitione morúmque modeſtiâ, quæ Angelis ſit admirationi; eâ cautione, vt nihil propales eorum, quæ ad Conſcientiam tuam attinent, quæque ſoli Confeſſario, aut illi, qui animam tuam regit, debent eſſe perſpecta. Hæc enim ſi Amico, vel Amicæ reuelares, tentari forſitan poſſet, atque ea diſcere, quæ hactenus benè ignorauit. Diuerſa Arcanorum ratio eſt, Arcana animi & cordis intima, nulli patefacienda ſunt, quàm Deo, eiuſque Vicarijs, qui nos illius nomine gubernant. Voléſne poſt illa omnia talibus impoſterum

Amicitijs, de quibus nobis hactenus sermo fuit, indulgere? At fortè obijcies, me nunc longè alium à me videri: priùs me dedisse bona verba, eáque visum approbare, quæ nunc tantopere reijcio, & damno; te magno quidem, sed breui, gaudio perfusam, cùm plurimùm absis ab eo, quod putâras. Nihil aliud est, quod opponas? iterum dico, & repeto: Nihil meliùs, nihil feliciùs est, quàm fidelem habere Amicum. IESVS suum habuit Ioannem, suum Paulum Petrus: in eo momentum est, vt benè deligatur. Benè delige, & adstipulatorem me habebis. Nonne oportet, vt tibi singula suis nominibus indigitem, & quod bonum est bonum vocem, & malum, quod malum est? ne terreant te dicta mea, si Cor reperis postulatis conditionibus instructum, illud ama: sed secura sis, quòd Deum præ omnibus timeat, quòd in amore constabit, quòd te non amet sui commodi gratia, sed purè propter Deum, & in Deo; quódque tu etiam non alijs stimulis ad amorem impellaris,

ris, non ſubijciendo te ijs ſeruitutibus, tormentis & periculis, quæ malas amicitias conſequuntur. Si occurrit ſic diſpoſitus animus, & tu etiam eodem pacto præparata ſis, audacter & ſine ſcrupulo contrahe amicitiam, non repugno. Si reperire poſſes, qui te non aliò quam ad Deum ſtimularet, maximè id foret è re tua. Talis fuit Tereſia quædam Bernardina, quæ hoc fœdere amicam ſuam obſtrinxerat, vt quoties vna alterius meminiſſet, toties animas ſuas diuinæ prouidentiæ regendas penitùs committerent. Talis ille, qui monuerat amicum, vt quandocumque, & vbicumque obuius fieret, continuò ſuggereret iſtud: *Illicne es*? vt diuinæ præſentiæ ſemper recordaretur. Tales magno tibi forent emolumento. Plura iam dicenda non occurrunt. Velléſne, vt tibi deſignarem perſonas, quas eligere deberes? facerem id non inuitus, ſi cognitam haberem Communitatem tuam, & dicerem; ne huic perſonæ te credas; tota in iocos & garrulitatem effuſa eſt, eſt inconſtans,

deceptrix, dicax, cui ſumma & vnica, virtus ſit, aliqua vrbanitas; tenere ſecretum nequit, inuida eſt, ſuperba, ſui amans, tibi iſta non ſeruit. Atque hæc tibi ſuggererem: ſi autem aptam aliquam reperirem, quod quidem mihi prodigij inſtar eſſet (cùm rectè olim nonnemo dixerit, centum annos minimum requiri, vt duo, perfectâ numeríſque omnibus abſolutâ amicitiâ, colligentur) liberè, pro eo, quo in commodum tuum feror, affectu, & vt me tuæ ad amandum pronitati accommodarem, eſſem tibi author, vt illi animum, & cor tuum affigeres. Sed cùm perſonas illas, cum quibus verſaris, non norim, hac in re ſatisfacere tibi non poſſum. Nihilominus quia vrgere pergis, vt nominem tibi perſonam aliquam, quam deligas, & quacum ſanctam Amicitiam ineas, non moror, cedo voluntati tuæ: Delige & in charum amicum aſſume Iesvm, Mariæ Filium, huic vni animum & Amorem tuum dedica; ſummè amabilis eſt, & vnicum veræ ſinceræque amicitiæ obiectum,

iectum. Quid amare hic potes, quod à proditionibus, fraudibus, inconſtantijs, faſtidijs, inuidijs & ſpinis ſit immune? nihil horum habet Iesvs: Nulla voluptas eſt amare Creaturam, vix vniuntur cùm diuidi oportet: non pro voto ſatis frequens congreſſus eſt, ne mutui quidem aſpectus omninò liberi ſunt, arbitros habent alios, & tandem mors ipſa perpetuum diuortium indicit, & vt aliqua eſſet voluptas, mille moleſtijs & doloribus animus labefactatur. Amicitia cum Iesv, & amabili Maria, voluptatem adfert puram & defæcatam: ſi lubet, ſemper illi adſumus; adimus & alloquimur, quando & quantùm lubet. Ipſa mors amoribus noſtris patrocinatur: velum enim ſubducens, vt perpetuo eius aſpectu fruamur, efficit. Tam ergo delirabis, Hagiophila, vt alteri, quàm Iesv, cor tuum largiaris? nonne anima mea ſponſa illius eſt? cui igitur potiùs conſecrabis Amorem tuum, quàm ſponſo tuo? I & Iesvm Mariæ filium Amicum habe, illum præ omnibus

bus ama, & omnia in illo, & propter illum. Et tali læta ſponſo iam nunc concine, & deinceps quoad viues, millies & millies cum B. Victoria.

O IESV, *mi dulcis Amor, nil diligo quàm te:*
Tu ſponſus meus es, mens mea ſponſa tua eſt!

Hagiophila, ſi lectio hæc non ſufficit, lege, vt magis exciteris ad eligendum IESVM in Amicum, cap. 7. & 8. lib. 2. de Imitatione Chriſti, cap. 8. lib. 1. aut Rodericij cap. 18. 19. & 20. Tract. 4. part. 1.

Peracta Lectione renoua deuotiones tuas erga Filium Dei, ad quod ſeruire poterit, Caput 3. & 5. mei ſancti fauoris, ſi fortè ad manum eſt.

Sequitur præparatio ſequentis Meditationis.

SECVN-

SECVNDA MEDI-TATIO.

De Paupertate Filij Dei Infantis.

Oratio præparatoria ſolita.

P*Ralud.* I. Propone tibi ob oculos Ieſū recens natum, iacentem in præſepio non in cunis; in ſtabulo, non in domo; inter inopem Matrem & S. Ioſephum, qui ne quidē impetrare potuerint, vt illi domicilium in Bethleem concederetur.

II. *Pralud.* Pete gratiam bene intelligendi illam filij Dei paupertatem, vt eam imiteris ſaltem cor non affigendo diuitijs, aut commodis huius vitæ.

I. *Punctum.* Extrema fuit paupertas filij Dei, in eius natiuitate: nam, etſi foret rerum omnium, & vniuerſi Dominus, tamen in mundum ingrediens, ad deſerti ſtabuli vilem angulum reijcitur; Matrem habet pauperem; paupertinis panniculis inuoluitur; Lectus eſt fœni pauxillum & ſtraminis, qualis animalibus ſubſterni ſolet. Omne ſubſidium illi eſt ab inope fabro, quem præſens omnium

mnium rerum penuria grauiter afficiebat; deinde à ſancta Virgine Matre, cui neque famulus, neque ancilla parturienti aſſiſtebant. Admiratio ſuper his, ac deinde Inueſtigatio, quorſum hæc tanta Filij Dei paupertas. Primò, vt admiratione complerentur Angeli, dum vident eum, cui Cælum thronus eſt, quique decore ſuo induit omnes creaturas, iacere in præſepi iumentorum, & malè ſartis panniculis inuolui. Secundò, vt damnarentur immoderatæ cupiditates filiorum Adam, & diuitiarum vanitas detegeretur. Tertiò, vt eius virtutis pretium innoteſceret hominibus, eaque illius exemplo perſuaderetur, maximè Religioſis, qui meritò patienter ferent modica corporis incommoda, atque aliquam in victu, veſtitu, & habitatione egeſtatem, ſi viderint Seruatorem ſuum maximis incommodis, rerúmque omnium inopia laboraſſe.

II. *Punctum.* Non fuit hæc paupertas Filij Dei fortuita, aut à S. Ioſepho, vel B. Matre procurata, ſed deſignata à

Deo

Deo ab æterno, & tandem in tempore mandata executioni. Vtque hæc meliùs ex decreto diuini consilij, succederet; fuere Parentes, etsi familiâ nobilissimi, re tamen familiari egentes: eundum ijs fuit in Bethleem, vbi nec diuersorio reciperentur. Neque ignorabant Angeli, hæc omnia sic esse diuinitùs destinata: nam cùm Natiuitatem huius Infantis Pastoribus annuntiarunt, meminerunt pannorum, quibus inuoluebatur, & præsepij, in quo iacebat. Gaudete ô voluntate affectuque pauperes, Ducem habetis IESVM! consolamini pressæ afflictæque animæ, nihil fortuitò, aut casu vota vestra, & desideria intercipit: omnia nutu, & decreto Dei accidunt.

III. *Punctum.* Hæc voluntaria Christi paupertas fuit prima virtutum, quas in Exordio vitæ suæ manifestauit, eandemque tota vita sua constanter exercuit. Fuit egens in Natiuitate, fuit & paulò pòst: nam tres Reges veluti pauperi in summa egestate constituto, stipem erogarunt. Egens fuit in Præsentatio-

tatione: nam cùm Matri facultates deessent emendo Agno, offerri turtures debuere. Ægyptum petens, ibique septem annis commoratus, magna inopia laborauit. Duodennis, ex penuria stipem trium dierum spatio vicatim collegit Ierosolymis, eo nimirum tempore, quo Mater perditum credebat In officina fabri lignarij, per octodecim integros annos, instar tyronis & opificis, operam suam adhibuit. Nulla illi domus, nulli redditus, nullæ pensiones, nil æris, aut argenti: solis S. Magdalenæ, S. Marthæ, aut aliarum piarum mulierum eleemosynis inter prædicandum sustentabatur. Victus fuit vulgaris, nullo modo delicatus. In vestitu nihil superfluũ, nihil vanum, aut curiosum. Tandem, nudus in Cruce moritur: adijcine ad istam paupertatem aliquid potest? Considera cur in hac virtute cœperit, & finierit; an quòd hæc sit charissima, quòd difficillima, quòd maximè necessaria, & cæterarum fundamentum? Imitatio, Resolutio, Amor.

Col-

Colloquium ad ſanctos Paupertatis amatores, S. Franciſcum, S. Alexium & ſimiles: quidni vos imitor, ô ſancti electi? quidni tibi ſimilis ſum, ô Iesv Magiſter mi! Pater. Aue.

Recollectio. Viſitatio Venerabilis Sacramenti. Examen Conſcientię. Prandium: ſed memineris priuſquam cubiculo pedem efferas, oſculari plagas tui Crucifixi, ſaltem pedum, rogando per Agoniam ſuam, vt tibi in hora mortis tuæ benignus, & miſericors eſſe dignetur. Vel deoſculare aliquam B. Virginis imaginē, poſtulata illius benedictione. Vel etiam vtrumque præſta. Quid enim? exire audes hoc officio Iesv & Mariae non exhibito? vide ne negligas, & iam nunc, hanc ini conſuetudinem, & à Deo magnis aliquando ſolatijs ideò perfunderis. Recreatio. Viſitatio Venerabilis Sacramenti. Examen particulare. Tempus ſcribendi propoſita tua, præcipuè iſtud: nunquam te egreſſuram cubiculo, aut regreſſuram, quin flexis genibus adores Iesvm & Mariam, eorumque opem & fauorem implores, aut alia, quæ tibi occurrent, annotanda. Sequitur Lectio ſpiritualis.

DIS-

DISSERTATIO POMERIDIANA.

De commodis, & emolumetis vitæ occultæ.

NE existimes, Hagiophila, dum te ad vitam occultam inuito, me tibi persuasum velle, vt aliquò te conferas, vbi sis incognita, exemplumque Alexij, Rochi, Ioannis Calybitæ, Euphrosinæ, Eusebiæ, & similium imiteris; vel vt alicubi te sic abdas, lateasque occulta, vt à nemine, quàm à Deo, & Angelis videare, ad imitationem Pauli Eremitæ, Mariæ Ægyptiacæ, Rosaliæ, pluriumque aliorum. Non est illa vita occulta, quam hodie tibi deprædico: sic latendi iam vsus exoleuit: Nihilò-magis arbitrere, quòd hoc loco tibi suadeam, vt ita tuis oculis subducas optimas sanctissimasque tuas actiones, vt illas Deus, & alij obseruent, tu verò minimè, non attendendo ad bona, quæ agis, sed ad mala, quæ à te committuntur. Iob tam eximia & illustria sanctitatis opera peragebat,

bat, vt suo splendore Solem prouocarent, & Lunam; nihilominus ijs ipse non aduertebat animũ: *a Si vidi Solem cùm fulgeret, & Lunam incedentem clarè.* Ita probi faciunt, teste D. Gregorio; *b Soli electi bona sua non vident, quæ in se videnda omnibus ad exemplum præbent.* Nimirum hac in re Pauonem imitantur, vt ait Petrus Damianus; *videt in pedibus rusticum aliquid, quod despiciat; ignorat in cauda, quid eum mirabilem reddat; te quoq; quod in te virtutis est, lateat, sed quid vero vitiosum, ab aspectus tui iudicio, non recedat.* Sed neque ista est vita occulta, quam tibi propono; actus potius humilitatis est. Latiùs patet vita occulta, neque vnius virtutis finibus coarctatur. Id præterea ab opinione tua remoue, quòd velim te ita incumbere bonis actionibus, vt nemo earum conscius sit; repugnaret istud Euangelio, & obligationi, quâ ad proximum ædificandum adstringimur, quod sine publico virtutum splendore fieri nequit: *Sic*

luceat

a *Iob.* 3. b *l.* 21. *Mor. l.* 2. *Epist.*

luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælu est. Esset ea quidem vita occulta, sed nimiùm latens, & digna vituperio.

Vita occulta, de qua mihi sermo est, in eo consistit, vt non solùm probas actiones iuxta instituti nostri rationem, in aliorum oculis producamus, verùm etiam exerceamus quasdam secretas, nullique cognitas, nisi Deo, & ijs quibus intima nostrarum animarum arcana debent esse perspecta: ita vt si boni æstimemur, simus tamen adhuc, quàm eorum ferat opinio, meliores: qui modus admirabilis est mundum sanctè fallendi. Iesvs hanc occultæ vitæ rationem tenuit totis annis octodecim: publicè bonus, deuotus, obediens, & omni genere virtutum præditus videbatur; at priuatim & clam, in cubiculi sui secreto, noctu diuque dabat operam actionibus sanctitatis, orationis, oblationis sui Deo Patri, Resignationis, Patientiæ, & plurimarum aliarum virtutum, quæ si

cogni-

cognitæ fuiſſent, eam vocem extorſiſſent ab omnibus: longè illum eſſe ſanctiorem, quàm crederetur. Quoties noctes orando conſumpſit? quoties peccatis hominum illacrymatus eſt? quoties erupit in ſuſpiria, humi proſtratus orauit, humi decubuit, mille ſuſtinere cruciatus, eoſque intolerandos pro vnoquoque mortalium voluit? & ita de cæteris actionibus, quæ nunquam innotuerunt. In illis ſita erat vita illius occulta, qualem deinde ſuis ipſe verbis commendauit: a *Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuũ, & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito, & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.* Hoc inſtituto vixere viuuntque, plérique Sanctorum, Magiſtri ſui veſtigijs inſiſtunt, vitam degunt latentem; quàm vulgus opinetur, ſunt meliores, eáque operantur, ſiue in pœnitentijs, ſiue in virtutum internarum exercitatione, quæ ſi cognóſcerentur, mortales omnes inſigni admiratione ſtupo-

reque

a. *Matth. 6.*

réque defigerent. S. Clara adhuc inter mundi delicias constituta, secreto carnem suam cilicio affligebat, dum inter æquales, & inter illecebras amantium versaretur: nonne, Hagiophila, istud insolens est? B. Franciscus Borgia, adolescens quoties nobilium fœminarum consortio interesse cogebatur, simili veste corpus suum obarmabat: quid videtur? S. Heduigis, Poloniæ Princeps, lectum insignem, & superbo apparatu instructum habebat in cubiculo, eumque ad se adeuntibus monstrabat, dicens thorum esse Principis Poloniæ; nihilominùs in eo cubabat nunquam, sed in altero vili, duroque, quem Heduigis lectum indigitabat. Idem in vsu fuit Cardinali Baronio, lectum suum, lectum Cæsaris appellanti, & alterum, qui in speciem erat expositus, lectum Cardinalis Baronij; erat iste pauperrimus, & abditus, hic opere & pretio magnificentissimus; in illo noctu quiescebat, in hoc nunquam. O prodigium! Gabriella Gadagnia in Gallia Comitis-

ſa, cùm filium vnicum, ſpem familiæ, & vnicè dilectum amiſiſſet, ſæpe in ſecretiſſimis orationibus ſuis Deo gratias referebat de filij morte, tam erat in Dei voluntatem reſignata. Soror Angela de Trinitate, Carmelitana filia Mareſchalli de Briſſac, cùm, ob formam aliáque naturæ dona, à magnis Proceribus in Matrimonium expeteretur, faciem aqua imbutam ſoli expoſuit, vt decus formæ deperiret, & procorum oculis minùs arrideret, in conuictu etiam nobilium, fatuam ſe bardámque ſimulauit, propoſito ſuo nulli, quam ſibi, perſpecto. Soror Maria Bouilloudia, Viſitationis ſanctæ Marię Religioſa, vt illuderet vanitati, quæ cæteræ armillas induunt, clàm alijs, brachia vrticis, rubis & ſimilibus circumcinxit. P. Elzearius quidam Societatis noſtræ, qui paucis ante annis, Aquis in Prouincia, glorioſè mortem in ſeruitio peſte infectorum obijt, ſemper veſtitus indormiebat, neque vnquam ſe dabat quieti, quin acri flagello ſe diuerberaſſet, neque vllus huius rei erat con-

ſcius, præter ſuperiores, neque putabatur eò virtutis & auſteritatis proceſſiſſe, maximè cùm eſſet amplæ conditionis, & magnus natu, ſuíſque capiendis commodis aſſuetus, ad nos acceſſiſſet. Plurimi alij talem vitam degunt, diſſimulántque pœnitentias ſuas, & recondita animi ſui, & virtutum internarum ornamenta. Sunt qui non omittent ſtatis diebus geſtare cilicium, aut zonam aſperam, corpus flagello cædere, quotidie per horam aut ſemiſſem vacare Orationi mentali, Virgini Deiparæ cultus peculiares genuflexionum, & adorationum exhibere, quorum Deus & Angeli tutelares ſoli ſunt arbitri. Reperiuntur, qui ex virtutis affectu, & perfectionis propoſito, nunquam de vllo malè loquentur, nunquam vlli obgannient; ſeſe ex vero ſenſu humilitatis creaturarum omnium viliſſimas abiectiſſimáſq; exiſtimabunt; ex amore pudicitiæ in nullius faciem obtutum defigent, ſilebunt de rebus ſuis, ijſque omnibus, vnde aliquam aucupari exiſtimationem, & glo-

riam

riam possent; nulli vel minimam molestiam facient, nulli postulatum officium, & charitatem negabunt; mente semper adhæreſcent Dêo, in cuius præſentia continuò ambulant; nullo in rem vllam affectu ferentur; incredibili reſignatione ſeſe diuinæ diſpoſitioni committent, etiam parati Infernum ſubire, modò poſſent Deum ſemper Amore proſequi. Et nullus tantas támque illuſtres virtutum exercitationes aduertit. Hagiophila, ſi omnia iſta opera, ſi præſtantes illæ actiones, quæ conferunt ad vitam ſanctè reconditam, de quibus nunc memini, non rapiant cor Dei & Angelorum, quin & hominum, vbi illis innotuerint, neſcio; quibus poſſint alijs actionibus permoueri. Saltem ex his clarè perſpexeris, quid ſit vita occulta, de qua tecum diſſero; quanti verò illam faciam, adhuc mihi dicendum eſt; aliâs tibi tantoperè actiones heroicas commendaui, dixíque non niſi vnica opus eſſe, vt ſalutem conſequamur, euadamúſque in eximiam ſanctitatem; etiám-

num in ea opinione persisto; audeo tamen pronunciare, secretas hasce actiones, nullo modo, esse alijs inferiores: illæ pronæ sunt, vt in aliquam vanitatem, & animi elationem nos attollant, cùm sint oculis omnium expositæ, indéque laudemur; hæ verò carent periculo, cùm ab omnibus ignorentur. *Vtile est abscondere mag , quàm ostentare, si quid habemus boni* ait B. Bernardus. *a* Publicis bonis Latrones & Vanitas insidiantur. Sponsa quamdiu latuit, nullo laborauit incommodo, nisi quod Amore languerit, sed simul ac prodijt in publicum, & plateas, & vicos oberrando, quæsiuit sponsum, verbera & plagas retulit; *Quæsiui, & non inueni illum: inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meũ mihi custodes murorum. b.* Et hæc ratio est, cur Sancti, qui versari inter homines coguntur, & publica illustriáque munera obire, priùs se in actionibus vitæ occultæ exerceant, exemplo Christi Seruato-

a *Serm.4.de Adu.* b *Cant.5.*

uatoris, qui antequàm tribus annis concionaretur, & patraret miracula, abdidit se per annos omninò octodecim. Insignis ad rem propositam est animaduersio S. Hieronymi in facto Niniuitarum, qui cùm Saccis & ieiunio pœnitentiam agere statuissent, initium fecere à ieiunio, quod priuatum occultúmque opus erat: *Ante, ieiunium, & sic Saccus; ante, quod occultum, & postea, quod palã; & si è duobus necessarijs vnum detrahendum est, magis ieiunium absque Sacco, quàm Saccum eligam absque ieiunio.* Pręclarius in commendationem actionum occultarum proferri nihil potest, quàm si dicamus, cum eo Ecclesiæ Doctore: eas semper alijs esse anteponendas. Sed si aliâ quoque ratione easdem consideremus, adhuc magis amandæ, ambiendæque videbuntur, nimirum quia ab illis totus decor, & vigor animarum nostrarum promanat. a *Omnis gloria filiæ Regis ab intus*, ab eo quod intus latet, & hominum oculis semotus est. b *Pulchra*

N 3 *es*

a *Cant.* 4. b *Prouerb.* 31.

es amica mea, inquit Sponſus, *abſque eo quod intrinſecus latet*, quaſi diceret: Pulchra es ab elegantia actionum tuarum externarum, verùm aliæ, quæ latent, quæq; nulli, quàm mihi perſpectæ ſunt, te efficiunt ſine comparatione pulchriorem. Vigor & robur, aduerſus tentationes ab illis quoque procedit: *fortitudo & decor indumentum eius*. Hæc vita occulta nobis eſt loco indumenti, quo tegere corpus ſolemus, tempeſtatum arcemus iniurias, illúdque roboramus natiuo calore conſeruato, quin & robur illud etiam in morte ſe prodit. *Et ridebit in die nouiſſimo*. Reipſa fuêre, qui in hoc terribiliſſimo agone, morti inſultarunt, eámque exceperunt tantâ animi conſtantiâ & fortitudine, vt nec dæmon, neque extrema lucta, neque quidquam eorum, quæ tantoperè alios percellunt, fuerit ijs terrori. At hæc magnanimitas, feliciſſimúſque ſucceſſus alteri cauſæ adſcribi non poteſt, quàm vitæ tam ſecretò traductæ, aut extraordinario alicui actui & habitui virtutum occultarum,

à qui-

à quibus illorum animæ coram Deo triumphabant. Accipe ex his vnum. Narrat Anastasius Abbas Montis Sinai, quendam è suis Monachis, qui vitam quoad ieiunia, disciplinas, cæteráſque Carnis macerationes, satis tepidam duxisse videbatur, cùm propius à morte abesset, lætari, ridere, maximáque animi voluptate perfundi cœpisse: Id aduertens Abbas, monuit, vt lætitiæ modum poneret, vitam tepidè actam hac gaudij significatione malè concludi: sed respondit Religiosus: pacem illam animi atque alacritatem ex eo prouenire, quòd toto vitæ tempore à temerario de alijs formando iudicio semper abstinuisset; toleraui, inquit, afflictiones omnes & molestias mihi ab alijs illatas, ijſque ex animo condonaui, non iudicando, minùs, illos damnando; imò quantùm fieri potuit, excusaui, atque hæc mea cura singularis fuit, & interna secretáque occupatio, propter quam Deus mihi nunc istos fauores exhibet; & per Angelum me de salute

mea reddidit certiorem, cùm ſtare velit promiſſo ſuo: *Nolite iudicare, & non iudicabimini.*

Ab hac æſtimatione vitæ occultæ non obluctaberis, Hagiophila, ſi te, priuſquam finem facio, inuitem, vt illi te applices, coneríſq; melior eſſe, quàm videri. Delige quaſdam actiones, quas Deus tibi ſuggeret, & illis incumbe conſtanter tota vita tua, tibíque ſufficiat, harum teſtem & arbitrum habere ſolum Deum. Et quandoquidem in eo conſiſtat myſterium deuotionis perfectioníſque, ita inſiſte, vt dici aliquando de te poſſit, quod de defuncto fratre ſuo Cęſario dixit Gregorius Nazianzenus: *a Viuebat Cæſarius ſoli Deo cognitus, quod maioris eſt pietatis.* Negari non poteſt, quin reſtent nobis debita aliqua diuinæ Maieſtati, quam quotidie offendimus, perſoluenda: at hic optimus pacandi modus eſt: *b Munus abſconditum extinguit iras.* Si alicuius ceruicali ſubijcio centum aureos, eo ignorante, vt illius neceſſitatibus occurram, vbi reſciuerit,

a *Orat.7.* b *Prouerb.21.* ma-

magno me affectu complectetur, etsi prius alieno à me animo fuisset. Si ita se gerit homo terræ vermiculus, quid non faciet Deus summæ bonitatis, qui sciet millenas & millenas actiones secretas, quas ad illius honorem, in testimonium affectus erga illum mei, & in scelerum meorum expiationem peregi? *Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Munus absconditum extinguit iras.* a Dubitari præterea non debet, quin magno desiderio afficiaris, chara Hagiophila, multùm promerendi, vt sublimem in cælesti beatitudine gloriam obtineas. Ad medium huic rei opportunissimum est illud, quod tibi offero. Ah! quàm ordo in cælis erit alius ab eo, quem homines in terris occupãt! is qui hic omnibus anteit, illic erit in póstremis; ille nunc vilissimus & despectus, ineffabili tunc honore perfruetur; & qui nunc honoratissimus est, vix vltimi subsellij locum obtinebit. Illustre est ad rem propositam, quod legitur in Annalibus Collegij Neapolitani nostræ Societatis

a *Prouerb*, 21.

Co-

Coadiutorum aliquis obijt, &, non multis post diebus, visendum se præbuit Medico, qui nostris ægris suam commodabat operam, & defuncti, nostríque Ordinis erat amantissimus. Attonitus hoc fauore Medicus rogat illum, saluúsne sit? Roligioso annuente; liceat mihi, subiungit iterum Medicus, vnum alterúmue ex te quærere: an Philippus secundus Rex noster inter Cælites est, & vter vestrum gloriam maiorem possidet? respondit Coadiutor, Philippum quidem cælo ascriptum, quòd verò ad gloriam attineret, tanto illum interuallo à suâ gloriâ abesse, quantò ipse viuens abfuerat ab eius summa Maiestate, quantùm scilicet pauper & abiectus Religiosus distat à præcipuo Orbis Monarcha. At quæso te, quid tantopere euexit hunc Coadiutorem, & supra tantum Principem, qui aliàs optimo fine, & morte benè præparatâ vitam clauserat, collocauit? nihil aliud, meo iudicio, quàm vita occulta, & bonæ actiones secretò factæ. O quot tales erunt

erunt in cælo, qui alij tunc apparebunt, quàm nunc esse videantur! Hic Ianitor, hic Coquus, hic nullius nominis administer, excedet gloriæ magnitudine suum Superiorem, suum Rectorem, & suum Prouincialem: Abiecta illa soror, illa sacristana, illa nouitia, Reuerendam Matrem gloria superabit, quia magnum inter actiones discrimen intercessit; quicumque vitam occultam sanctiùs traduxerit, præmium excellentius & maiorem beatitudinem reportabit. Quòd si nolis tam procul ad vitam alteram remitti, audi sublimem hanc fauorem cuidam personæ concessum, quæ vitam degebat occultam, & hinc disce, quàm hæc agendi ratio Diuinæ Maiestati sit accepta. Sed maturè illum expende. Decima septima Nouembris, Græci duarum illustrium personarum memoriam recolunt, Ioannis & Zachariæ. Ioannes ex opulentissimo pauperem se fecerat, distributis in egenos omnibus facultatibus suis, ita vt stipem, aliorum more, emendicare cogeretur. *a* Solebat is Constan-

a Ex Radero in Virid.

ſtantinopoli, vbi ſedem fixerat, vigilijs & orationibus vacare ad ædem S. Sophiæ. Quodam Veſpere, dum huius Eccleſiæ foribus aſſidet, intentus precibus, proſpicit venientem eminùs quendam venerandâ canitie ſpectabilem, mirâ luce circumfuſum; qui ſimul atque ad fores acceſſit, demiſit ſe in genua, breuiculam orationem fudit, & demum ſigno Crucis expreſſo fores aperuit. Ingreſſus in templum prolixè precibus indulſit, quibus peractis dum egreditur, obſeratur porta, & iterum lux adfuit virum ſanctum domum deductura. Ioannes, qui hæc omnia prodigia clàm obſeruarat, proſequitur ſenem, aduertítque illum ingredi in vilem caſulam, pulſato leniter oſtio, & coniuge, vt aperiret, modeſtè monitâ. Placuit prætereà admotis auribus explorare, quomodo reliquum noctis domi traduceret, & intellexit illum inſomnem ſuendis calceis dare operam (erat opificio ſutor) neque his contentus, pulſat fores, ſibíque aperire rogat, denique prouolutus ad viri

ſan-

ſancti genua, nomen inquirit, & genus vitæ, & virtutum. Senex ipſe quoque ſe in genua demiſit, aſſeruit ſe Zachariam vocari, de reliquo ſutorem ſe eſſe miſerúmque peccatorem. Planiùs amabo te, inquit Ioannes, tam enim miranda vidi hoc veſpere, quando ad S. Sophiæ te contuliſti, vt obſtupeſcam, decernámq; pedem hinc non efferre prius, petitioni meæ quàm ſatisfeceris. Ah, repoſuit Zacharias, fuerit phantaſma aliquod, in mei gratiam Deus miracula non patrabit. De iſtis aliàs, ait Ioannes, nunc cedo mihi vitæ tuæ modum. Pauca à me diſces, reſpondet Zacharias; quod propter Deum ago, eſt: ſeruo cum vxore, quam vides, virginitatem illibatam, & vt ea occultior ſit, dico cæteris, vxorem ſterilem videri. Reliquum laboris mei, quod à victu neceſſario ſupereſt, diuido in pauperes, & cum metu diem Iudicij exſpecto. Hæc tota vita mea eſt, non magni ſanè facienda. His auditis Ioannes, cùm voto ſuo factum fuiſſet ſatis, abit, & domum notat. Re-

 dire

dire eòdem voluit post pauculos dies, sed iam hospites illi aliò se receperant, declinantes omnem vanitatis occasionem, cùm dubitare non possent, quin ille, cui se patefecerant, eòdem esset reuersurus. Restaret illud, Hagiophila, vt tibi gloriæ magnitudinem, quam in cælo consecuti sunt Ioannes & Zacharias huius vitæ occultæ merito, enarrarem, sed cùm id facere non possim, tibi perpendendum committo.

Adde his, si otium est, Lectionem cap. 13. part. 1. tract. 1. Rodericij, agit de bono exemplo, nihil enim vita occulta derogare debet ædificationi, quæ proximo impendenda est. Lege præterea cap. 5. & 6. lib. 3. de Imitatione Christi. Sequitur Examen.

EXAMEN CIRCA SIMPLICITATEM ET CANDOREM ANIMI.

Simplicitas, alio nomine sinceritas & candor, est virtus parum hominibus cognita, & paucioribus in vsu admirabilis tamen, & Deo acceptissima, cuius

cuius eſt proprium inclinare, & efficaciter permouere hominem, vt ſuis verbis & operibus nullam duplicitatem, ſimulationem, dolum, aut malitiam admiſceat, verùm ſit purus, ſincerus, verus, & exteriora omnia interioribus conſentiant. Vnde patet multùm virtutem hanc diſcrepare ab ea ſimplicitate, quæ vulgò eſt ignorantia quædam, & ſtoliditas nonnullis à natura inſita. Hæc, de qua nunc agimus, virtus ex præcipuis non poſtrema eſt. Si ſcire deſideras, Hagiophila, huiúſne virtutis aliquid, an nihil habeas, notas haſce inſpice.

Prima. *Nihil aliud ſibi in actionibus ſuis habere propoſitum, quàm vt Deo placeamus; alia enim motiua quæ poſſent concurrere, facerent, vt actio non ſimplex ſed duplex foret.*

Secunda. *Rectà in Deum tendere, non reflectendo ad reſpectus humanos, & quid alij dicturi, aut cogitaturi ſint.*

Tertia. *Non vti reſtrictione mentali, vt aliter dicas, aliter cogites.*

Quar-

Quarta. *Abominari quidquid mendacium redolet.*

Quinta. *Exteriora interioribus conformare, prætérquam in commotionibus passionum, cùm non sit contra simplicitatem, eas ita premere, vt non emicent.*

Sexta. *Sibi & Deo attendere, non immiscendo nos ijs, quæ ad alios spectant.*

Septima. *Non malè suspicari, aut indicare de alijs, nisi indicia sint manifesta; benè de omnibus opinando.*

Octaua. *In conuersatione, directè loqui & respondere, non vti verbis ambigui sensûs, aut alium ab aliorum consortio abstrahere, aut sermonem mutare ad accessum alterius.*

Post Examen lege Officium, aut alias preces vocales. Deinde vaca huic Considerationi.

CON-

CONSIDERATIO.

I. AVt IESVM falli necesse est, aut Mundum. Quærit hic honores, diuitias, voluptates, & òbsequi propriæ voluntati: IESVS complectitur, & suadet contraria, contemptum, paupertatem, sensnum mortificationem, & abnegationem suiipsius, decerne anima mea; vter sapientior sit, & in eius sententiam concede. Et memineris non esse aurum, quidquid splendet.

II. Insignis dementiæ est inire vias deuias, regium & tritum iter tenendum est, quale est iter virtutis. Dei Filius & Sancti omnes hac iêre. Desipiat, qui volet, volo ego tenere istud iter, quod sapientissimi triuerunt.

III. Amare IESVM, ars est certissima benè beatéque viuendi, nihil in hoc Amore perditur. Hîc Diuinus Amans minima etiam & occultissima suspiria compensat. O insanas creaturas, quæ ad alium quàm ad IESVM suspiratis! quæ & vnde merces tot suspiriorum!

IV. Nihil beare te potest in hac mortali-

talitate, nisi Amor Verbi Incarnati. Tempus quod abripit omnia, quódque tam celeri cursu præterlabitur, non permittit, vt occurrat aliquod obiectum amabile, cui affectus nostros applicemus. Vix applicuissemus, & iam de recessu cogitare oporteret. Solus Amor IESV solidam habet atque integram felicitatem, nam ab hac vita pergit ad alteram, vt ibi æternùm continuetur.

V. Bona huius vitæ non delectant nos, nisi dum ea prosequimur; imaginabamur incredibilem fore nobis voluptatem, si eorum compotes fieremus, at consecuti, ijsdem quibus anteà cupiditatibus perturbamur, & alia sequi obiecta incipimus; quòd si ijs studijs lædatur quoque conscientia, iam magis decepti sumus, qui spinas repererimus, vbi rosæ quærebantur. Solus Amor IESV & in prosecutione, & consecutione amabilis est. Solus ille sine spinis est, totus ille coronatus est rosis.

VI. Quo tandem deuenerunt omnes illi Amatores creaturarum, virorum, mulie-

mulierum, amicorum, parentum, honorum, opum, ædificiorum? quid profuit omnem ijs amorem affixisse? iacturam temporis fecerunt, accumularunt tædia & tormenta, quæ illicito Amori deesse non possunt, & ex his gradum fecerunt ad alterius vitæ tormenta, quæ modum & finem non habent. O qui sciret IESVM serio complecti Amore! absque hoc Amore, tristis & horribilis infernus est: cum illo dulcis & desiderabilis Paradisus!

Hora quietis & relaxationis animi. Deinde Officij, Vel Orationis vocalis. Visitationis Venerabilis Sacramenti. Demum preparationis ad sequentem Meditationem.

III. MEDITATIO.

De vita occulta Filij Dei, & eius Obedientia per annos duodecim.

Oratio præparatoria consueta.

I. P*Ræludium.* Imaginare exiguam domunculam, & officinam S. Iosephi, Fabri Lignarij; vilem lectulum, & cellulam

lam IESV, totam denique familiam tribus IESV, MARIA, IOSEPHO, comprehensam intuere.

II. *Prælud.* Pete à IESV optimo Duce tuo, & Seruatore, vt virtutes illas, quas domi per octodecim continuos annos exercuit, maximéque illius Obedientiam, imitatione assequaris.

I. *Punctum.* IESVS ab anno ætatis duodecimo vsque ad tricesimum vitam duxit occultam, nullíque nisi Deo Patri, sanctæ Matri, & B. Iosépho cognitam. Et profectò dolendum est, ignorari à nobis, quid toto eo tempore fecerit, dixerit, aut cogitauerit. Quidquid enim fecit, fuere miracula; quidquid dixit, oracula; quidquid cogitauit, sanctissima consilia, & eminentes actus perfectionis. Inuestiga proximè, quid fecisse, quid dixisse, quid cogitâsse potuerit, & ad eã formam te reforma. Attende nihilominùs, cur vixerit vitam hanc occultam. Primò, vt suggereret materiam insignem meditandi de ipsius occupationibus; de colloquijs cum Matre, & S. Iosepho;

pho; de Orationibus pro genere humano, & nominatim pro me fusis; de admirabili silentio, de flexanima conuersatione, quando Parentes inuisebantur; & de feruore, quo actiones omnes suas exequebatur. Secundò, vt nos doceret optimam vitæ partem Dei oculis subijcere, & subtrahere oculis hominum, qui sæpe eò nos abripiunt, vt opera nostra ex vanitate, & ob respectus humanos faciamus. Tertiò, vt disceremus nos subducere ex vsu hominum, & priuatis exercitationibus vacare, priusquàm arduum aliquod opus aggrediamur: tribus tantùm annis concionandum illi erat, & totos octodecim voluit, vt eò se disponeret. Quartò vt intelligeremus eum sub obedientia, & alterius arbitrio viuentem, plus egisse, nihil agendo (teste S. Bonauentura) quàm si quidquid fieri poterat, fecisset. Deus bone, quot documenta pro me in hac vita occulta!

II. *Punctum.* Considera, cur inter reliqua opificia potissimùm Artem fabrilem

lem elegerit. Imprimis, certum eſt, illum alijs quoque domeſticis obſequijs fuiſſe occupatum; ipſe menſam inſtruebat, ipſe ianitorem agebat, ipſe ollas & ſcutellas eluebat coquebat, alijſque ſimilibus ſe impendebat, nihil enim declinabat; imò cùm eſſet admirabili feruore præditus, cuncta ad ſe trahebat munia, vt dilectiſſimam Matrem, & Ioſephum ſubleuaret: plurimus tamen erat in officina, vt fabri officio fungeretur. Hoc enim erat illi gratiſſimum. Primò, quòd eſſet laborioſum & moleſtum. Secundò, quòd ita cogeretur exercere actiones abiectas, humiles, & plenas mortificatione; vti erant: deferre ad forum ſcabellum, aut ſedile, venalia; & exſtruendis reparandiſue domibus operam commodare. Tertiò, quòd inter laborandum frequens occurreret memoria Crucis pro nobis aliquando tolerandæ, cùm quoduis lignum illi trabem Crucis præſignaret. Ah cur ita mihi parco! cur detrecto pluribus officijs, quibus par eſſem, me impendere?

III.

III. *Punctum.* Obedientia Iesv iſtis octodecim annis fuit admirabilis. Fuit prompta, & alacris, quis enim non illicò obtemperaret Mariæ, & Ioſepho, opem, & ſubſidium poſtulantibus? fuit cæca, non inquirendo, cur hoc, vel illud imperatur? cur impendor ſedili fabricando, qui nutu poſſem mundos fabricare? fuit perſeuerans, ad octodecim planè annos, etſi ſub finem virili eſſet ætate & annorum triginta. O quantum intereſt inter meam & obedientiã Iesv! Petitio veniæ, Emendatio, Imitatio.

Colloquium ad Filium Dei: Gratias agendo, quòd tale tibi exemplum dederit; quòd animos etiam tibi ſubijciat ad imitandas eius virtutes, & obedientiam; denique. quòd iſto tempore, tam clementer tui meminiſſe dignatus ſit in ſacroſanctis ſuis precibus. Pater. Aue.

Recollectio. Fortuita Lectio Thomę de Kempis. Roſarium. Viſitatio Venerabilis Sacramenti. Tandem ſemel pro me ora, quòd fortaſsè hactenus à te factum non eſt, cùm tamen ſimili ſubſidio egeam, vt

vt qui maximè. Tanti tibi non erit vnicum AVE MARIA; seruiet tamen, vt memineris, subinde eos habere in precibus tuis commendatos, qui bono tuo, presertim tuæ animæ, student. Cena. Recreatio, quam si cum aliquo peragis, omne colloquium tuum sit de amore IESV, quámque immeritò ab hominibus non summè diligatur. Litanię Sanctorum. Visitatio Venerabilis Sacramenti. Præparatio Meditationis crastinę. Examen. Quies cum hac cogitatione, te fore felicissimam, si illo, quo nunc es, pacto disposita, à Deo euocareris. Tanti refert dies benè sanctéque, & in amore diuino traduxisse.

SEX-

Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. VI



H. del. W.K. f.

SEXTVS DIES.

De virtutibus imitandis in vita Apostolica Christi IESV.

NOn fuit otium, Hagiophila, considerandi virtutes omnes, quæ in Christi infantia, pueritiáque emicuere. Duas solùm proposui, & tamen Humilitas, Modestia, Mansuetudo, & quæ non aliæ, fuerunt admirabiles. Iisdem angustijs constringor hodie, & ex plurimis virtutibus, quæ vitam illius Apostolicam commendant, tres dumtaxat deligam, quæ cùm animæ tuæ perquàm necessariæ sint, sunt etiam ad imitandum faciliores. Iam decretum tibi est amare Paupertatem, & Obedientiam; tantundem de Humilitate, Mansuetudine & animarum Zelo decerno.

Salutatio Venerabilis Sacramenti, & præparatio ad Meditationem.

I. MEDITATIO,

De Humilitate Filij Dei.

Oratio præparatoria consueta.

I. PRæludium. Propone tibi Iesvm dicentem Apostolis suis, & tibi: *Discite à me, quia sum humilis corde.*

II. *Prælud.* Pete à Deo Patre, vt tibi manifestet excellentiam humilitatis Filij sui, ac deinde eius virtutis gratiam faciat.

I. *Punctum.* Iesvs fuit humilis in verbis, Primò, optimus erat, & tamen bonus dici non vult. Quid me vocas bonum, reponit illi, qui hisce illum interpellauerat: *Magister bone, quid faciã, vt habeam vitam æternam?* Secundò, dignissimus erat, cui omne obsequium præstaretur, & tamen dicit non *se venisse ministrari, sed ministrare.* Tertiò, erat sapientissimus, ait nihilominùs: *Doctrina mea non est mea, sed eius, qui misit me.* Vide vt vbique captet omnem se humiliandi occasionem. Quartò, erat Dei Filius, & tamen plerumque se Filium hominis indigitat, Quintò, post Transfigura-

gurationem, an non meritò ab omnibus coli adorarique debebat? at prohibet Apostolis, ne vllam apud alios huius visionis faciant mentionem. Sic amabat supra vulgus non eminere. O quantum hęc verba dissentiunt à meis! totus sum, vt me laudem, iactitem, commendem, vt de me factisque meis loquar. At iste modus non est honorem Deo deferendi, DEVS *ab humilibus honoratur*. (Eccl. 37.) neque gratias obtinendi: *Humilitas sola meretur gratiam*, teste Bernardo.

II. *Punctum*. Nullius pretij sunt verba, si facta desint: fuit IESVS humilis in actionibus suis. Primò; volunt illum Regem creare, fugit. Secundò, solennem ingressum habet in Hierusalem; at Asino insidet. Tertiò, Deus Pater, ex Ruperti sententia, optionem filio fecit, vt Mundum redimeret, aut subsidio honorum, & Maiestatis, aut per opprobria, & humiliationes; at quid ipse elegit? an non *proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta?* id egit per omnem vitam, multóque amplius tum, cùm se abiecit ad pedes Iudæ proditoris

ſui, & mori voluit inter duos latrones nudus in cruce. O grauem & intolerabilem meam ſuperbiam! Ecce Deus totius Maieſtatis ſe humiliat, & quodammodò annihilat in omnibus, & abiectiſſimus terræ vermiculus, hoc eſt, ego, audeo de me præſumere, me extollere? neque quidquam grauiùs timere, quàm humiliari, & ab alijs contemni? certiſſimum indicium eſt, nullam me habere virtutem, quandoquidem *tantum quiſque habet Virtutis quantum Humilitatis*, vt ait Caſſianus.

III. *Punctum*. Exteriores actiones fallere poſſunt, ſi cor à manu diſſentiat. IESVS etiam animo & corde fuit humillimus. Primò, *ego vir videns paupertatem meam*, videns me nihil eſſe, ſed quidquid poſſideo, eſſe à benignitate Dei. Secundò, benè illi erat, ſi contemneretur; ſi pro Filio Ioſephi haberetur; ſi diceretur fabri Filius; ſi crederetur ſimplex, imperitus & vilis, iuxta conuitium in Nazareth familiare: Hic puer idiota eſt; vti Ioſephi Filius, qui duo verba profari nō poteſt, neque ad quidquam eſt idoneus.

(S.Bo-

(S. Bonauentura.) Tertiò, pacato lætóque animo excipiebat omnes in se contortas iniurias, vt haberet occasionem se demittendi. Tanta Seruatoris tui humilitas, ô anima mea, non id poterit, vt eum, & illam ames? *Quo vilior eo mihi charior*, aiebat Tertullianus.

Colloquium ad Filium Dei, quòd seriò imitaberis eius humilitatem in verbis, factis, & cogitationibus, eóque indicio testari velis amorem tuum: Paruus Dominus, & amabilis valdè, ob tantam nimirum humilitatem nostri causa susceptam. Pater. Aue.

Recollectio. Tesseræ diurnæ electio. Seruire poterit hæc sancti Petri vox: *Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes.* Aut iste versus omni auro pretiosior: *Sola salus seruire Deo, sunt cætera fraudes.*

Sequitur Oratio vocalis Officij, aut alia. Sacrum. Lectio spiritualis.

DISSERTATIO MATVTINA.

De Mansuetudine.

FAtendum est sine suauitate considerari non posse suauissimam illam man-

manſuetudinem, quæ emicabat in conuerſatione dilecti noſtri Seruatoris, quando hic in terris inter homines verſabatur; O quàm iucundum erat oculis ſpectaculum, videre illum loquentem, incedentem, conuerſantem, incumbentem operi, docentem, reſpondentem, interrogantem in templo, in hoſpitijs amicorum, in domo Matris, in itineribus, in campis, in plateis vrbis Hieroſolymitanæ, vbique! hæc omnia erant aſpectu gratiſſima, quia decore admirabili temperata, vti prædixiſſe videbatur Dauid Rex, & Propheta: *Dominus decorem indutus eſt.* Sed, quod decorem hunc reddebat admirabiliorem, erat incredibilis quædam ſuauitas, & manſuetudo, quâ non ſolùm audientium, ſed etiam ſpectantium animos rapiebat. Et tanta fuit támque flexanima, vt Hebræi illum, teſte Galatino, Suauitatem appellàrint; & IESVM adituri dixerint, adeamus ad Suauitatem. Fertur D. Petrus propè continuò lacrymis maduiſſe, & putatur ex dolore, quòd optimum Magiſtrum abnegaſſet; S. Antoninus fatetur quidem illam

illam ex rationibus vnam fuiſſe, addit, nihilominus, præcipuam tantarum lacrymarum cauſam proueniſſe à recordatione dulcedinis, & manſuetudinis Filij Dei conuerſantis, quâ ſe priuatum videbat. Nonne diceres Bernardum Chriſto conuixiſſe, dum illum audis ita loquentem: *Dulcis eſt Ieſus in voce, dulcis in facie, dulcis in nomine, & dulcis in opere?* Sed quo tendit ſuauis hæc, de dulci conuerſatione Ieſu, conſideratio? nimirùm, vt aliquid ſublime de affectu manſuetudinis, de quo nunc diſſerere ſtatui, concipiamus. Viuat ſuauitas, & manſuetudo, Regina enim animorum eſt & præcipua earum virtutum, quæ cordibus Dei, Angelorum, & hominum potenti cum imperio dominantur. Non ſtatuo tibi ob oculos ponere omnem eius pulchritudinem, & perfectionem, quæ ampliſſimè ſe extendit, nimis parum temporis habeo, vt hanc telam adoriar; Sufficit vt dicam, quod ad animæ tuæ ſalutem, & ſpiritalem profectum eſt vtiliſſimum, & vt tibi magnam imprimam huius manſuetudinis exiſtimatio-

nem, præsertim in sermone, quæ est præcipua portio dulcis gratæque conuersationis. Quod ad me attinet, tanti illam facio, vt arbitrer, ab hoc ordiri debere illum, qui conuersationi suæ debitum modum ponere vult, séque ad virtutum & sanctitatis acquisitionem præparare. Totum Salomonis templum erat ligno Cedrino, & laminis auri purissimi vestitum, exornatúmque: portæ tamen, per quas aditus erat *ad Sancta Sanctorum* non alio, quàm oliuarum, ligno constabant. Voluit Deus hoc facto nos docere, quandoquidem oliua dulcedinis & mansuetudinis sit symbolum, quòd qui ingredi ad sanctitatem cupit, & virtutum possessionem adire, transire debeat per mansuetudinem, & ab illa virtute præcipuè acquirenda, inchoare. Ob hanc eandem rationem Dei Filius vult à se primum disci mansuetudinem, deinde humilitatem: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* At maximè necessaria humilitas est; nil refert, porta illius est mansuetudo, & per hanc illa aditur. Atque hinc aduerto, primam

tin-

tincturam virtutum omnium, illi qui ritè proficere desiderat, esse mansuetudinem; vt opus aliquod architectonicum benè inauretur, pluribus tincturis est opus: vt animæ nostræ inaurentur perfectissimè, vna sufficit, quam nunc commendaui, mansuetudo. Sed ne te diutius suspensam teneam dico suauitatem sermonis esse omnium aptissimam, vt formet numerísque omnibus animam perficiat, aut eam saltem disponat ad magnas opes spiritales faciliùs comparandas. Viuat Apicularum Regulus, qui nulla arma, ne spiculum quidem, gerit, sed benè mel in ore. Dicamus aliquid ampliùs: Regnet Dei seruus, qui nullis alijs armis, nullo alio regiarum virtutum apparatu vtitur, quàm melle in ore, & verborum suauitate. Hac dulcedine integram illæsámque conseruat charitatem, componit animi sui motiones, corda aliorum sibi subijcit, votorum denique suorum fit compos. *Lingua placabilis, lignum vitæ,* a inquit Sapiens, reipsâ virtutibus animam addit, & tum au-

a Prou, 15.

dienti, tum proferenti ſolatium, & alacritatem. Magnus ille Dei ſeruus Moyſes, qui Spiritus ſancti teſtimonio, *Dilectus Deo, & hominibus, cuius memoria in benedictione eſt*, a quibus potiſſimum gradibus ad tantam vitæ ſanctimoniam aſcendit? à qua virtute initium fecit? profectò non alia, quàm manſuetudine: *In fide & bonitate ipſius ſanctum fecit illum*; & vt ſciremus id à ſermonis ſuauitate potiſſimùm proceſſiſſe, addit Sapiens: *& in verbis ſuis monſtra placauit*, verbis melle & manſuetudine manantibus paſſiones omnes ſuas, quæ vera monſtra ſunt animarum, ſuperauit; quin & flexit duras ceruices, & illa portenta crudelitatis & barbarici, quæ inerant duobus millionibus perſonarum, quibus imperabat: ſermonis ſui dulcedine totam illam gentem ſibi ſubiecit, vt ab omnibus mirum in modum amaretur. Quàm ſuauitas in verbis eſt efficax! fluctuem aliquo iræ, vindictæ, inuidiæ, triſtitiæ affectu: ſi loquor, ſi reſpondeo ſuauiter, iam componi tota iſta tempeſtas poteſt: *& in verbis meis monſtra placabo*.

a *Eccl. 45.*

tabo. Insurgat in me offensus aliquis, diráque comminetur, si mansuetè alloquor, leniam, eiusque auersionem & iracundiam in mei amòrem commutabo : *& in verbis meis monstra placabo.* Mulier quædam videns egregium illum in Scotia Martyrem, P. Ioannem Ogilbæum, cœpit in illum maledictis & contumelijs inuehi, exploso etiam oculorum errore, qui obliquum intuebantur: cui Dei seruus blando & amœno vultu; Domina, inquit, Deus elegantem tuam formam tueatur, diúque conseruet incolumem. Adeò emolliuit ea vox ferocientem mulieris animum, vt publicè fateretur, iniuriâ se in virum illum insurrexisse, & facti pœnitere; contestãdo prætereà se imposterùm de illo, non nisi honorificè, & debita cum reuerentia locuturam. Adeò verum est, sufficere blandius verbum ad inflectenda corda maximè exacerbata. Quare, Hagiophila, author tibi sum, vt abstineas ab omni genere verborum, quæ mansuetudini aduersantur, ideóque nunquam vtaris verbis mordacibus,

contumeliosis, fastuosis, & austeris; nunquam responsionibus acribus, impatientibus & siccis; nunquam dictis, quæ audaciam, insolentiam, impudentiam, & animi rancorem redoleant; caue tonos illos imperiosos, illos accentus authoritatis, eos sermones, qui gestibus, propriâ tui fiduciâ, aliorum contemptu despicientiâque corrumpantur. Hæc omnia digna vituperio sunt, & à spiritu dulcedinis mansuetudinisque, aliena; cùm sociabiles simus, vitæque communione delectemur, conuersationem nostram perpetua quadam suauitate & gratia condire debemus, vt nulli molestiam, nulli tædium adferamus, ne minimùm quidem charitas violetur, non contristetur proximus, sed ea loquendi respondendique forma vtamur, quam ab alijs exigimus. Imò etiam tum adhibenda suauitas est verborum, quando de vitijs, & defectibus alienis sermo instituitur, etsi vitia forent manifesta. Nunquam de alio dici debet, superbus est, ineptus, fatuus. At talem esse, nemo ignorat; Nil refert; eiusmodi verba

ba tolerari possint in ore aliorum, non tuo, quæ virtutem profiteris, quæque Christi mansuetudinem desideras imitari. Verùm si me læsit, si in me inuasit iniurijs, despectu, contumeliâ, non erit mihi licitum de illo queri, & facti insolentiam exprobrare, aut meritis coloribus apud alios depingere? ergò mel illi propinare debebo, qui tam copioso felle me proluit? vrges me profectò. At audi: ne tum quidem alijs, quàm suauibus verbis, vtendum est. Dic: te minùs blandè ab illo acceptam, adhiberi modum alium, & gratiorem ab illo potuisse, sed caue ne de illo malè loquaris, ne vocem acerbam & aculeatam vsurpes. Læsus erat Iacob, & perfidè à socero suo deceptus, nullam tamen in illum iniuriam intorquet. Compellare poterat impostorem, fraudulentum, callidum: abstinuit; pauculis verbis dolorem suum testatus est: *quid est quod facere voluisti, quare imposuisti mihi?* S. Michael Archangelorum Princeps, cum Satana contendens de Moysi corpore poterat illum maledictis obruere, vo-

care damnatum, Inferni titionem, reum læsæ diuinæ Maiestatis, infamem, & sexcentis eiusmodi nominibus, quæ is commerebatur. a *At noluit, & non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit: imperet tibi Dominus*, nullo asperiore verbo vsus est, & rationem adfert S. Hieronymus: *Merebatur Diabolus maledictum, sed per Angeli os blasphemia exire non debuit.* b Idem tibi inculco: etsi optimo iure videreris posse alium linguæ flagello proscindere, siste tamen impetum. Ista linguæ licentia, & sermonis libertas te non decet. Angelos tibi in exemplum vitæ tuæ proposuisti, eorum igitur verba imitare; & quamuis aliqua persona tanto digna odio, quantum Diabolus aliquis incarnatus commereretur, te iniurijs affecisset, dissimula, neque aliter de illa loquere (si modò loquendum est) quàm blandè, atque mansuetè.

Adijcere hic monitum oportet, quandoquidem te tantoperè ad sermonis suauitatem inuito; estque illud, vt atten-

a *Ep. Iudæ.* b *Ep. ad Tit. cap. 3.*

attendas ne hæc ſuauitas (ſiue in conuerſatione, ſiue in colloquijs) abeat in quandam affectationem, nimiúmque verborum delectum, aût adulationem, & ſtudium alijs placendi: Ille enim modus aulam redoleret, non Religionem. Conuerſatio noſtra, & ſermo degenerare non debet in illum placendi affectum, vt ſpecie affabilitatis, & vrbanitatis fiamus Religioſis Regulam, conſuetudinem, aut communem ordinationem euertentes. Ad ſilentium violandum inuitor, ad ingreſſum cubiculi alieni, ad hoc vel illud faciendum, quod voto, quod regulæ repugnat; &, prætextu vrbanitatis affectatæ, inducor ad voti, ad regulæ tranſgreſſionem. Non eſt iſta vrbanitas, non in eo ſpiritus manſuetudinis, & ſanctæ beneuolentiæ conſiſtit, præſtat Deo placere, quàm homini, & conſcientiæ ſuæ ſatisfacere, quàm acquieſcere huius creaturæ voluntati. S. Magdalena rogata ab Angelis lacrymarum cauſam; *Mulier quid ploras*? reſpondit: *Quia tulerunt Dominum meum. Et hac cum dixiſſet, conuer-*

ſa eſt

sa est retrorsum, dorsum illis obuertit.
Quæ ista morum ciuilitas est, à puella huius conditionis, benéque institutâ? saltem erga Angelos vrbaniorem exhibere se debebat, quid verebatur? eius loco respondet Origenes: *Nolo Angelos videre, nolo cum Angelis manere, si cœperint mihi multa narrare, & voluero illis ad omnia respondere, timeo ne amorem meum magis impediant, quàm expediant.* Si hæc Dei amatrix, ita Angelos deserit, quid non facere nos oportet, vt expediamus nos ab eo placendi studio, quo regulæ violantur, & amor Deo debitus imminuitur, talibus personis occurrentibus, quæ nec Angeli sunt, nec propiùs ad illorum mores accedunt? omninò generosis Magdalenæ vestigijs insistere debemus, & posito metu lædendæ mansuetudinis, aut ita nos contineamus, aut etiam recedamus, vt intelligant, nos malle integrum Diuini Numinis amorem conseruare, illæsis regulis, quàm illorum gratiam, cum aliquo nostræ perfectionis detrimento, aucupari. Vt autem Religioni
no-

nomen non dederis, æquè tamen obligaris ad deuitandos hos placendi affectus, qui in oculis ſæcularium videri quidem poſſent actiones vrbanitatis, & manſuetudinis, cùm tamen reuerà aſſentationes ſint, quæ culpa non vacent. Nunquam eò comitas tua progrediatur, vt ſapiat adulationem, vt falſum proferat. Prudenter exprimenda veritas eſt, verbis honore, ſuauitate & reuerentia pleniſſimis. Proponi illa aliquo ſermonis lenocinio poteſt, nihil intereſt, modò ab illo, quem alloqueris, capiatur. Et quamuis foret aliquis ex primis terræ moderatoribus, ſi ex officio tuo monere illum debes, aut opinionem tuam illi declarare, cùm conſcientiæ tuæ leges tranſgredi non poſſis, fac iſtud generosè cum debito reſpectu, neque putes te aliquid à ſpiritu ſuauitatis alienum admittere. Propone tibi Danielis exemplum; incumbebat illi, vt ingratam aliquam Veritatem Regi Nabuchodonoſor aperiret, fecit profectò cum honore, reuerentia & dulcedine, nihil tamen eorum quæ dicenda erant præ-

prætermiſit. *Hæc eſt interpretatio altiſſimi, quæ peruenit ſuper Dominum meum Regem.* Quid ſuauius? ſuum illum Regem & Dominũm compellat. Sed ſubijcit: *Ejcient te ab hominibus, cum beſtijs, feriſque erit habuatio tua, & fœnum, vt bos comedes.*

Propoſueram quidem adferre regulas nonnullas, quæ ad hanc manſuetudinem in occaſionibus maximè periculoſis conſeruandam videbantur, opportunæ, ſed quis modus illas explanandi, cùm ad diſſertationis metam peruenerim? hæc vna tamen erit inſtar omnium, quæ erat B. Franciſco Saleſio familiaris: *Nihil contra Deum.* Tantum comitatis, tantum hilaritatis, tantum vrbanitatis dulcediniſque, quantum voles, modò ſit *Nihil contra Deum*, nihil, quo lædi offendique poſſit.

Poſt hæc nihil ſupereſt, Hagiophila, niſi vt te orem, cuiuſcumque ſtatus, aut conditionis exiſtas, vt in ſpiritu manſuetudinis des operam ſaluti, & perfectioni tuæ, quod vt facilius, & efficacius à te obtineam, vtar verbis S. Pauli:

ii: *a Obsecro vos, vt digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni mansuetudine.* Ita Apostolus loquitur, quòd virtus hæc, postquàm cæteris virtutibus patefecerit aditum, easque in animam nostram introduxerit, easdem illic conseruet ac tueatur, earumque veluti iure hæreditario acquisitarum possessionem asserat: *b Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Virtutes apud mansuetos tanquam in solo patrio commorantur; Melancholicis, inuidis, superbis & quibus similes affectiones dominantur, suæ subinde virtutes sunt; minimum tamen est, quod illos de earum possessione deijcit, facillimè ipsæ elabuntur; soli mites & spiritu mansuetudinis præditi, perstant, ipsa animæ pax & tranquillitas illos in perpetuo victoriarum & felicitatis vsu constituit. *c Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* Qui hunc suauitatis affectum non habent, occupant virtutes (si modò aliquas occupant) non quasi proprias, sed velut aliunde

sibi

a *Eph.* 4. b *Matth.* 5. c *Ps.* 39.

ſibi elocatas; quid mirum ſi facili negotio eripiuntur? ſi verbum aſperius, ſi contemptus aliquis, ſi modica vanitas illas auferat? alia penitus manſuetorum ratio eſt, mortificati ſunt, victorijs æque ac virtutibus abundantes, hereditaria illis virtutum exercitatio eſt. Et ad hoc potiſſimùm ſeruit ſuauitas verborum, effectus gignit mirabiles, tum in ijs, qui ea vtuntur, tum in alijs, ad quos dirigitur: & ſicuti ſufficit verbum vnicum acre & aculeatum ad exaſperandum & imbuendum perenni rancore alicuius animum: ita vnica vox blanda & ſuauis ſatis eſt, ad animos exaſperatos, & maximè à nobis auerſorum conciliandos. Quidam Orientalium Rex fertur hoſtiles ciuitates in poteſtatem ſuam redegiſſe, non alio ſtratagemate, quàm affuſo ad portas oleo; ſed affirmare ego poſſum, maiorem adhuc vim ineſſe verborum ſuauitàti, illa actionibus noſtris dominatur, & Cælitum iuxta ac mortalium corda ſuæ ſubijcit ditioni.

Si lubet preterea alteri lectioni vacare, lege cap. 18. 19. 20. & 22. Tract. 3. Vol. 1. 2. Part.

2. Part. Rodericij, vbi de humilitate loquitur: aut Imit. Christi cap. 2. 7. & 22. lib. 1.

Peracta lectione renoua deuotionem erga Patronos tuos SS. Ioseph um, Alexium, Ignatium, Benedictum, Franciscum, Vrsulam, Teresiam, aut alios qui tibi erunt peculiares. Si nullum hactenus delegisti, hodie incipe, minimùm saltem renoua deuotionis affectum erga Angelum tuum Tutelarem. Super hac re videri possunt ea, quę in Anno sancto dixi ad festum S. Michaelis. Denique para te ad sequentem Meditationem.

SECVNDA MEDITATIO.

De Comitate & Mansuetudine Filij Dei.

Oratio præparatoria consueta.

I. PRæludium. Propone animo S. Ioannem Baptistam, qui dum loquitur de Filio Dei, eúmque digito commonstrat, ei nomen Agni attribuit: *Ecce Agnus* DEI, *qui tollit peccata Mundi.* Non temerè sed dedita opera, sic compellans ob suauissimam Comitatem, &

inno-

innocentem Mansuetudinem, qualis in Agno esse consueuit.

II. *Prælud.* Pete gratiam à Deo Patre, vt benè addiscas hanc Lectionem, quam Iesus te docet.

I. *Punctum.* In verbis habebat Iesus admirabilem suauitatem. Primò. Vnico alloquio animum audientis sibi deuinciebat, tam erat influens sermo, melle dulcior, & gratior cælesti nectare. *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Secundò. Cæcus aliquis importunis magnisque vociferationibus efflagitat ab illo oculorum curam: quiuis indignaretur alius, extra Iesum, qui suauissimè interrogat: *Quid vis, vt faciam tibi?* Tertiò. Simon; qui Iesum conuiuio exceperat, & alij, aduersabantur Magdalenæ; at tam bonus est Iesus, vt eam aduersùs omnes tueatur, eam soletur, & repleat melle, & suauitate verborum suorum. *Vade in pace, fides tua te saluam fecit.* O probrum, quod in verbis adeo sim asper & morosus! Rubo similis, attingi non possum, quin pungam aliquē, & aliquo indicio prodam passionem

nem meam. O Rex mansuetissime, rege & moderare sic verba mea, vt à tua loquendi mansuetudine non discedam!

II. *Punctum.* Mansuetudo Iesu eminebat ex vultu, & toto habitu corporis. Primò. Refertur, afflictos & Melancholicos eius temporis, vt aliquod solatium ex facie benignissimi Seruatoris colligerent, ita inuitare se solitos: Visum eamus filium Mariæ. Secundò, Ingens illa multitudo, quæ eum in desertum, in montem, & vbique sequebatur, satis aspicere, amare, & admirari tantam eius suauitatem non poterat; & cùm non continuò concionaretur, solo illius aspectu sic pascebatur, vt ne cibi quidem, aut victus necessarij meminisset: *Ecce iam triduo sustinent me, nec habent, quòd manducent.* Tertiò, Comitas denique ac benignitas Seruatoris maximè tum in vultu emicuit, quando in morte Lazari fudit lacrymas. Benè dixeras, ô benignissime Iesu, adeundum te esse, vt discatur vera mansuetudo & benignitas.

III. *Punctum.* Mansuetudinem etiam

factis

factis ipsis IESVS demonstrauit. Primò, ab hac processit insignis illa erga afflictos commiseratio. Hinc panes miraculo multiplicati: *Misereor super turbam*; hinc, in nuptijs Canæ Galileæ, aquam in vinum commutare non recusauit; hinc tandem voto mulieris Cananeæ factum est satis. Secundò, Cogit illum Benignitas, vt magnis promissis compenset exigua officia; vitrum aquæ postulat, & in vicem totum cælum, & vitam æternam promittit. Tertiò, Quin & ad peccatores se extendit: Mulier in adulterio deprehensa, in eius clementia asylum inuenit: *Mulier vbi sunt, qui te accusabant, nemo te condemnauit?* respondente illa: Non Domine neque ego, inquit, te condemnabo. O clementiam ineffabilem! ô suauitatem! quis mihi det de melle, & oleo humanitatis tuæ, vt omnes actiones meæ simili suauitate condiantur!

Colloquium ad IESVM, Magistrum mansuetudinis Reum te age apud illum de asperitatibus & morositatibus tuis, alijsque aduersus hanc virtutem vitijs.

Pro-

Propositum emendationis. Desiderium huius amabilis admirabilísque virtutis. Pater. Aue.

Recollectio. Visitatio Venerabilis Sacramenti. Examen Conscientiæ. Prandium. Recreatio. Visitatio Venerabilis Sacramenti. Tempus scriptionis. Lectio.

DISSERTATIO POMERIDIANA.

De respectibus humanis.

NIhil nobilius, nihil excellentius potest excogitari, quàm placere Deo; oblectare supremam illam maiestatem, quæ nullo alio, quàm seipsa perfecte oblectatur, nonne actio est, omnium imaginabilium actionum præstantissima? hanc veritatem, Hagiophila, sic apprehendo, vt pluris facerem vnicum opus, quo constaret me Deo placuisse, quàm mille milliones eorum operum, quibus toti humano generi, omnibúsque simul Angelicis spiritibus placuissem, etsi etiã defixissem eos mei admiratione, & meruissem ab ijs per plura sæcula commendari. Tam mihi cordi est pondus,

& felicitas, vel vnius actionis, quæ grata Deo dici mereatur, vt, si scirem me posse talem aliquam exercere, quæ illi arrideret, illa peractâ mori illicò non detrectarem; & verò morine possem gloriosiùs, quàm placendo, quàm oblectando DEI viuentis adorandam Maiestatem? ex hac opinione mea videor meritò posse dicere; plurimùm aberrare eos, qui humanis ducti respectibus, malunt placere creaturis, quàm Creatori. Videas nonnullos, qui non audebunt virtutum actiones exercere, frequentare Sacramenta, hospitalia inuisere, serere sermones de rebus diuinis, & spiritualibus, silentij legem, aliásque Regulas, si Religiosi sunt, obseruare; ne vellicentur, ne dicantur hypocritæ, aut qui deuotulorum, aut Reformatorum Ordini accenseri velint. Maledictum illud, *quid dicetur?* obstaculo ijs est, boni quid agant, & ne alicui irreligioso, aut garrulo displiceant, paruipendunt Deo displicere. Alios reperias, qui è contrario incumbent sedulò bonis operibus, obedientiæ, humili-

tati,

tati, charitati, candori & regularum obseruationi, sed quam ob causam, & quamdiu? donec nimirum ille Reuerendus Pater, eorum erit Director, & Superior, quamdiu præerit ea Venerabilis Mater. Accidat enim mutatio aliqua, & alter, qui non sit ad gustum, aut adtemperatus illorum genio & affectui, præficiatur; si aliò optimus ille Superior amandetur, vale obedientia, valete virtutes, actum est, fuistis. An non hæc nota est infallibilis, nihil factitatum esse purè propter Creatorem, sed propter creaturam, propter hanc Reuerendam Matrem, ptopter hunc egregium Patrem spiritualem, qui maiore quàm Deus apud illos pollebat authoritate? Istiusmodi homines pleni sunt respectibus humanis: non symbolum aliud, neque aliam cogitationem habent sibi propositam quàm pessimum illud: *quid dicetur?* & verbo, omnes illi ex Ordine sunt (liceat mihi in re absurdissima, vti inepto vocabulo) Placentinorum. Quare decreui placentinis illis, in aurem tria

verba admurmurare, quæ probè intelligent; nullam iniuriam faciam, ſolùm veritatem ingenuè, & ſine fuco eloquar; quod dicam, grauiſſimum erit, eos eſſe ſocordes, & animalia, inter bipedes, ignauiſſima; nulla ratione mereri nomen ſeruorum DEI, quantumuis id eſſe ſe ſimulent; & pro concluſione, eſſe temerarios, & penitus ineptos.

Quod ad illorum ſocordiam, & ignauiam attinet, prorſus incredibilis ea eſt; nihil talibus amicis fingi debilius poteſt. Conceperint admiranda propoſita poſt Confeſſionem annuam, poſt bonam Communionem, poſt Meditationem ardenter peractam, in Exercitijs ſpiritualibus, in alijs occaſionibus eiuſdem generis; ſi illos audias, aut legas eorum decreta, jurares fore rupes immobiles, conſtantiæ prodigia, nullius Creaturæ impetu vnquam percellenda: & mox verbum vnicum, vnicum ſcomma, vnicum, *quid dicetur*? ſubitò efficit, vt tonum mutent, tentationi ſuccumbant, & omnium propoſitorum ſuorum

rum obliuiſcantur. Tales mihi non videntur abludere à Pica Tonſoris cuiuſdam, qui illam humanas voces imitari perfectè docuerat; pronuntiabat hæc articulatè ſymbolum Apoſtolorum: *Credo in Deum*; mille iocos viciniæ & tranſeuntibus faciebat cantando Litanias Virginis Lauretanas, aliáque lepidæ garrulitatis argumenta proferendo; Dixiſſes, illi in omnem vitam abundè de ſcientia prouiſum eſſe. At quid accidit? die quodam, non procul ab ædibus Tonſoris, excitatur tumultus, & ſolennis quædam proclamatio ad tubæ ſonitum, qui cùm inſolitus eſſet, ſic miſeram picam perturbauit, confuditque, vt omnis latinitas totáque garriendi peritia illi excideret, ipſáque natiuæ ſtupiditati reſtitueretur, iam cæteris ſylueſtribus par. Pica hæc plurimas habet ſocias. Omnes illi loquaculi, de quibus mihi tecum ſermocinatio eſt, ſimilibus caſibus obnoxij ſunt. Exprimunt optimè linguam Sanctorum, & Apoſtolorum idioma, dum feruore ſpiritûs ca-

lent. Nunquam, inquient, verbo lædam famam vllius, nunquam superioribus obmurmurabo, nunquam de victûs ratione conquerar, nunquam talem Regulam violabo, nunquam me istorum hominum consortio, & familiaritati immittam. O sermonem elegantem! ô verba non alio quàm Sanctorum ore proferenda! sed quid? occurrat persona, cui displicere hic non ausit, quia illa murmurat, obtrectat, regulam violat, tantundem ille faciet. Dicatur verbulum aduersus deuotionem, aduersus eos, qui maiori quâdam obseruatione res suas peragunt, subitò itur in antiquam syluam, in pristinum & laxum viuendi morem, ne à cæteris dissentiat: vnicus sonus, non tubæ, sed joci, efficit, vt obliuiscantur omnia axiomata eius sapientiæ, ad quam aspirare videbantur. Miseri mortales, qui (omnibus benè perpensis) nihil habent, quàm verba, quæ ventus discutit! Funestæ picæ, quæ ad tempus garrire didicerunt, neque opere explent, quod conscientia, quod ratio,

quod

quod DEVS docuerat! An non æquissimo jure tales, debiles in supremo gradu, atque ignauissimos pronuntio? quid enim? debiliúsque aliquid esse potest, quàm semper trepidare, ibíque timere, vbi nulla timendi materia est? hoc eos indicio notauit, Propheta Regius a dicens: *Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Animos illorum sine causa Timor occupat, sed timor abominandus, quandoquidem tum timeant, huic vel illi displicere, qu ndo virtus exercenda, & diuinis in irationibus obtemperandum est. Cogor aliquid addere de damnis, quæ illos sequuntur, & tibi ob oculos proponere Ducem horum vecordium, & ignauorum, quibus ad benè faciendum, idcircò animus deest, quòd vermis humanorum respectuum omne illis robor arrodat. Fortasse perspecta huius hominis miseria, & infirmitate, detestaberis hanc Placentinorum progeniem, neque eorum ritu viuere voles. Dux igitur illorum & Princeps, & qui, vt placens viueret, lepræ per-

a 4. *Reg.* 5.

petuæ periculo ſe expoſuit, eſt Naaman Syriæ Regi charus & ſupremus militiæ præſes, laborabat ille lepra tam atroci, vt caro propè diffluer et: vt curaretur, mandauerat illi Eliſæus, ad quem opis gratia aceeſſerat, vt ſepties in Iordane ſe lauaret. Verùm Princeps, qui alium valetudini recuperandæ apparatum exſpectauerat, hoc præſcripto ſic attonitus fuit, vt obedire detrectaret: humani reſpectus tantâ vi animum illius inuaſerant, vt propè mallet, per omnem vitam, lepra cooperiri, quàm in hoc fluuio ſe diluere. Quid? aiebat, aquæ noſtræ, & Syriæ flumina, ſalubritate inferiora ſint, & cedant aquis Iſraël, & fluuio Iordanis? quid dicet Rex meus, vbi audierit me tantum iter confeciſſe, vt ſepties me lauem in hac aqua; quæ nullâ virtute noſtram antecedit? quid dicet Domina Coniunx, quæ profectionem illam impedire conabatur, maluiſſétque me vti domeſtico balneo, quàm hîc, in terrâ peregrina, omnium oculis exponi? quid dicent Duces mei, quid

Milites?

Milites? ridebunt me profectò, cùm intelligent; ſupremum ſuum Præfectum, tantum viarum diſpendium feciſſe, vt ſepties ſe lauet. Hiſce cogitationibus fluctuabat Naaman, adeò infirmus in propoſito curandæ valetudinis, (quàm quouis pretio modíſque omnibus quærere debuiſſet) vt parum abfuerit, quin ob funeſtum illud (*quid dicetur?*) leproſus, idémque qui abierat, in patriam reuerteretur; & niſi Miniſter aliquis eum ad experiundas aquas animaſſet, actum erat, perierat, omni ſpe ſalutis depoſita. Adeóque Naaman ad viuum mihi exprimit placentinos illos, eorúmque debilitatem & ignauiam ad executionem boni etiam non difficilis neque ardui, quantumcumque ſolida, atque ſancta propoſita præceſſerint.

Ne igitur mireris, ſi poſt tantam ignauiam auſim affirmare, eoſdem nullâ ratione ſeruos eſſe Dei. Non abeo à ſententia Apoſtoli aſſeuerantis: *Si hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.* At in

in domo Religiosa diuinis obsequijs me mancipaui, eadem ego, quæ alij, præterquam, quòd ex isto placendi affectu, qui mihi quasi à natura insitus est, omnia faciam ad oculum ; & vt placeam alijs præcipuè familiaribus, & amicis meis, ideòne minùs existimer seruus Dei ? dic, quidquid voles, Dei seruus non es : pronuntiauit Apostolus , oraculum est. At optimis voluntatibus, & desiderijs plenus sum, si perspectum me haberes, non tam facilè expungeres me ex numero seruorum Dei ; si me intuereris, nihil reperires dignum vituperatione; in serie meliorum me collocares, nullo alio vitio laboro , quàm ista placendi omnibúsque satisfaciendi cupiditate, quâ subinde delinquo : hæc vna noxa mea est, neque de alia à multo tempore me in Confessionibus meis accuso. Nihil refert, sancti Pauli decretoria sententia est: seruus Dei non es. Aliquid forsan tibi præ D. Paulo arrogas? subire hoc debes, velis, nolis. Et tu quoque Hagiophila patiere, vt tibi denunciem,
si

si fortè hâc imperfectione laboras, te Dei non esse ancillam. Verum boni serui argumentum est, quando omni contentione satagit placere Domino suo, eiusque obsequium, & beneplacitum obsequio anteponit aliorum, quos omnes præ illo paruipendit. Ad rem facit, quod notant Physicarum rerum inuestigatores, quando de Aquilarum natura disserunt. Aiunt Aquilas, vt experimentum faciant, explorént que, quinam pulli sui sint legitimi, & à patria virtute minimè degeneres, solere illos adhuc implumes vnguibus attollere in altum, & soli opponere, quem si fixa, immotáque oculorum acie intuentur, habentur pro legitimis, & in nidum reuecti, velut sincera soboles educantur. Hoc eodem experimento filij & serui DEI agnoscuntur; si rectà in Deum oculos defigunt, non verò detorqueant in terram, & creaturas, illa optima seruorum Dei nota est; si contrà accidat, falsò tanti dignitatem nominis arrogabunt. Si obtemperetur Domino, si Superiori, nõ ob

præclaras illas dotes, neque ex naturali erga illos propenſione, aut affectu, ſed quia in ijs Deus, cuius perſonam gerunt, agnoſcitur, non attenta illorum gratia, vel vt nobis propterea blandiantur, nos laudent, colántque; ſignum perſpicuum eſt, diuinum numen ſpectari, neque aliud intendi, quàm vt illi ſoli placeatur. Talem ſe exhibuit Religioſus ille, qui per annos duodecim obſequium ſuum ſeni moroſiſſimo, à quo præter dura & aſpera verba, (fortè & verbera) nihil referebat, conſtanter impendit. a Ea ſanè conſtantia ſatis prodebat illum nihil aliud ſpectaſſe, quàm vt placeret ſupremo Domino, cuius perſonam in hoc ſene intuebatur: & verò quando felicem animam efflauit, coactus fuit molestus hic Superior præſentibus profiteri, & dicere: Fratres mei, non homo hic, ſed Angelus eſt, quandoquidem totis annis duodecim, quibus mihi ſeruiuit, & ægrotanti adfuit, etſi aſperrimè tractaretur à me, nihilominùs omne obſequium, & obedientiam mihi præſtitit,

a *In prat. ſpirit.*

cum

cum ſingulari diligentia, incredibiliſque alacritate. Ille erat verus Dei ſeruus, non autem placentini illi, qui malè ob humanos reſpectus agunt, aut qui bonum non purè ob Dei amorem, ſed propter creaturas operantur.

Finiamus: Non hoc ſolùm damnum & detrimentum eſt: inepti ſunt, & reuerà temerarij, cùm ſupra vires & facultatem aliquid moliantur, & quod fieri non poteſt, facere tamen ipſi velint. Modum accipe: numquid certiſſimum eſt, nullum adhuc hominnm in rerum natura extitiſſe, qui omnibus omninò ſatisfacere potuerit? fac optimo, quo potes, modo, ſemper aliquis reperietur, qui factum carpet, cui aliquid diſplicebit. Agas bene, fatui vituperabunt; malè, damnabunt ſapientes; ceſſes ab opere, vt nec malum agas, nec bonum, jam hi & illi tibi illudent. Imò nonnulla ingenia ſic à natura corrupta ſunt, vt reprehendant omnia ſeu bona, ſeu mala, his vide vt placeas, vt facias ſatis. Actiones etiam ſanctiſſimæ vellicationibus

obnoxiæ sunt. Abbas Poponius magnâ & munificâ charitate pauperes peregrinos excipiebat. Plurimus hac de re inter Monachos sermo, multi aiebant prodigum esse, bonáque monasterij dilapidare, alij contra affirmabant bene illum facere, & eius charitatis intuitu Deum fortunare rem familiarem. Quid esse melius potuit, quàm quod clamabat cæcus Euangelicus: IESV *fili David, miserere mei.* Acceptus erat hic Christi clamor, non item alijs, qui hinc indignabantur, & *qui præibant increpabant eum, vt taceret.* Ipsi Angelici spiritus satisfacere omnibus hominibus non possunt: Quando Angelus, solaris cæli motor, solem stitit, vt voci Iosue obediret, ipsi Iosue placuit, eiusque exercitui, at alij, qui cladem patiebantur, ægrè ferebant hanc stationem, & solem motorémque diris deuouebant. Christus IESVS vt Filius Dei foret, id consecutus non est: tota illius vita quasi scopus fuit contradictionis: verba ad homines facit, dicunt aliqui, nunquam sic locutum esse hominem, alij obtre-

obtrectant, esse seditiosum, aptúmque ad plebem in Dominos animandam. Sed quo pacto Angeli, vel Sancti, vel IESVS omnibus placuissent, cùm ne Deus quidem eâ potestate, quâ est, id faciat? testatur Alphonsus decimus, Rex Hispaniarum, dictus Astrologus, cui censura hæc aliquando excidit: si Deus Mundum conditurus se in consilium adhibuisset, se multa ostensurum fuisse, quæ ordine meliori disponi potuissent. Testatur prætereà alius ille, qui hominem, aiebat, præclarum esse Dei artificium, deesse tamen in pectore fenestellam, quâ cordis arcana penitiùs inspicere possemus. Res certa est, fieri nihil potest, quod ad gustum sit omnium, & tamen eò connituntur nostri placentini, Deo placere volunt, & creaturæ, quod possibile non est. Ne eos imitere, Hagiophila, temerarij sunt; Deum specta, huic fac satis, & conscientiæ tuæ, & cætera omnia floccipende. Illi qui respectibus ducuntur humánis nullos à Deo fauores consequuntur, imò DEVS *dissipauit ossa eorum*

rum, qui hominibus placent; Cúm è contrario in eos munificentissimus sit, quibus animus est, vt illi placeant, parum curantes, quid dicturi aut cogitaturi sint mortales. Præclarum huius rei testimonium est in B. Margaretha Iprensi Religiosa sancti Dominici: adhuc puella obuium habuit adolescentem satis à naturæ dotibus instructum, eiusque amore per oculos admisso capta est; & aliquamdiu Amicitiam illam fouit intra terminos omnis decentiæ & honestatis, non quòd vllo coniugij cum illo contrahendi desiderio teneretur, sed vt affectui suo, naturaliter in illum propenso, satisfaceret. At Deus, qui solus amari ab illa cupiebat, tàm validè perculit illius animum, vt decreuerit se penitùs amore illo exuere, & adolescentis consuetudinem deuitare. Peracto hoc proposito, accidit post pauculos dies, vt eidem illa in plateis occurreret, jámque in eo erat, vt consueto more alloqueretur; verùm propositi memor, & semoto omni respectu humano, tergum illi, satis inurbanè,

nè, obuertit, incurrítque in proximam Ecclesiam, vt ad pedes Christi cruci affixi prouoluta meritas de hac victoria gratias referret. Tantoperè id Deo Filio placuit, vt visendum se præbens, illam insigni coronâ condecoraret. Sufficeret forsan vna talis actio, & similis humanorum respectuum contemptus, ad conciliandos nobis diuinos fauores, & sanctitatem comparandam. Cur solliciti erimus, vt placeamus creaturis, quæ nos non judicabunt, neque debitam nostris actionibus mercedem redhibebunt? nónne præstat placere Creatori, eóque vti symbolo: Dum licita faciam; quod lubet, alij dicant.

Nisi hæc Lectio sufficit, prosequere ea apud Rodericium, quæ manè de humilitate incœpimus, aut cap. 2. 3. & 5. lib. 2. de Imitatione Christi. Deinde sequitur Examen.

EXA-

EXAMEN CIRCA MANSVETVDINEM.

PRimò, *Submissè loqui, & humiliter, & sine strepitu.* Secundò, *Non uti verbis austeris, pervicacibus, imperiosis, aut quæ contemptum aliorum redoleant.* Tertiò, *Non contradicere alijs, neque cum vllo contestari.* Quartò, *Nullum contristare siue verbo, siue gestu, siue ope recusatâ, quantumuis vilis & abiectus videatur.* Quintò, *De nullo queri, etsi iniuria nos affecisset; quæ si est, fiat id verbis blandioribus, quæ excusent, & eleuent refutanda illam.* Sextò, *Si quispiam nos læsit, non exspectemus, donec ille culpam agnoscat, eiusq; veniam à nobis postulet, sed ipsi illum præueniamus, & deprecemur, quòd indignandi occasionem dederimus.* Septimò, *Non reprehendere aut increpare alios sine graui causa.* Octauò, *Aliorum defectus, & infirmitates benignè tolerare, neque admodum curare, quòd nostri defectus alijs sint noti.* Nonò, *Nullo indicio demonstrare antipathias quasdam, seu auersiones à nonnullis, siue illa à natura inditæ sint; siue vsu*

com-

comparata. Decimò, *Nunquam exhibere se fastidiosum, seu vultu, seu gestu, seu aliâ quâdam ratione.* Vndecimò. *Facilè concedere in sententiam, & opinionem aliorũ, reiecto proprio judicio.* Duodecimò, *Nunquam in peiorem partem verba aliorum interpretari.* Decimò, tertiò, *Quodam commiserationis affectu ferri in afflictos, eorúmque miserias & calamitates sentire.* Decimò quartò, *In copia negotiorum & occupationum, tranquillitatem & hilaritatem animi præseferre, vultu sereno, & composito.*

Hagiophila, hæ præcipuæ mansuetudinis notæ sunt, da operam, vt illas obtineas, & fructum reportabis incredibilem.

Tempus est jam Officij, aut precum aliarum vocalium, deinde huius Considerationis.

CONSIDERATIO.

I. CVi bono cætera, nisi per exercitium, & acquisitionem virtutum fiamus veri Dei ministri? præcipuum hoc est, cui attendi debet, reliqua tantùm

tùm acceſſoria ſunt. Doſitheus in ſuo Monaſterio patrabat admiranda, in conuerſatione ſua erat amabilis, in ęgrorum obſequiõ obſtupeſcendus: at hinc aliqua gloriæ & vanitatis titillatio illum inuaſit, quam aduertens S. Dorotheus, hoc dicto, quod pluribus conuenire poteſt, illum perſtrinxit: Doſithee, inſignem aliorum famulum te præſtas, & egregium complacentem, ſed nondum Dei ſeruus effectus es.

II. In tua ſitum eſt poteſtate, vt maximas præſtantiſſimáſque virtutes conſequaris, gratia Diuina nobis non deeſt, ſed nos deſumus gratiæ. Vult Deus nos ad ſublimem perfectionis gradum euehere, nos non aliam, quàm mediocrem, virtutem volumus. Quis Aulicus dignitates & fauores ſibi à Rege oblatos recuſát? at moleſtia in virtutis acquiſitione reperitur: quis ignorat? ſed neque hoc ignoratur: roſam eſſe ſpinis ſeptam, & in concha, vnionem. Hac moleſtiâ cælum emitur; an pretio nimio, & pœnitendo?

III. Non aduertunt homines, & nihilominùs verum est, acquisitionem vnius virtutis, at exercitium vnius actûs virtuosi, maioris pretij esse, plurísque æstimandum, quàm si celebrem aliquam de hostibus victoriam reportasses, aut acquisiuisses centum millia aureorum annui censûs, aut Regni alicuius sceptrum, & diadema obtinuisses. Virtus Christiana bonum Dei est, cuius intuitu, quantumuis exigua sit, omnibus tamen totius naturæ donis antestat, vt omittamus mercedem, quæ erit sempiterna.

IV. Quàm me olim pœnitebit, quando videbo me propterea non esse assecutum eum gradum virtutum & meritorum, quem Deus mihi destinauerat: quòd nimium rei alicui creatæ ahhæserim, aut quòd repudiauerim Diuinam gratiam, eique non omni modo fuerim obsecutus. Ah! quàm charo mihi stabunt eæ commoditates & deliciæ, quibus nunc, cùm grauissimæ virtutum negotiationi studere oporteret, indulgeo! vtinam

vtinam ſolo Purgatorij pretio & gloriæ imminutione luam!

V. O virtus! quiſquis perſpectum haberet valorem & meritum tuum, illi res omnes terrenæ viles, & ſuo affectu indignæ viderentur: & vt nullo alio, ad illam amandam, ſtimulo compellerer, quàm quòd IESVS & MARIA eandem tanto amore proſecuti, complexíque ſint, volo amare, & credere, nihil eſſe amabilius eo obiecto, quod ambo illi ſapientiſſimi rebus omnibus prætulerunt. Tantis ducibus aberrare non poſſum.

VI. Vah rerum terrenarum amores! dum guſtantur, deſipiunt. Viuat virtus, illa, illa eſt aqua Samaritanæ propoſita, *quam qui biberit, ſitiet iterum*, quæ ipſo ſui vſu appetitionem accendit. *Aqua eſt ſaliens in vitam æternam. O Domine, da mihi hanc aquam.*

Sequitur hora quietis, deinde Officij, & aliarum Orationum, tum Viſitationis Venerabilis Sacramenti, & præparationis ad ſequentem Meditationem.

III. ME-

III. MEDITATIO.

De Zelo Filij DEI *erga salutem animarum.*

Oratio præparatoria consueta.

I. P*Raludium.* Imaginare pastorem, qui quærat aliquam à grege auulsam & aberrantem ouiculam; peruagatur omnia, sursum, deorsum, per valles, per montes, per planitiem, nullum denique locum non studiosè perlustrat. IESVS talis pastor est, qui venit idcircò in Mundum, vt hominem ad verum ouile reducat.

II. *Prælud.* Pete gratiam, vt ex hac diuini Pastoris charitate proficias, eandem sic agnoscas, vt in amorem illius vehementiùs accendaris, & pro ratione statûs tui, te pereuntibus animabus impendas.

I. *Punctum.* Filius DEI zelo incredibili fertur in salutem animarum. Primò, ille est Pater filij Prodigi: quidquid enim Parens perdito suo filio exhibuit, cùm recepit in gratiam, id omne IESVS

præ-

præſtitit hominibus. Secundò, IESVS eſt magnus ille Medicus, qui deſcendit de cælo, vt curaretur magnus ægrotus, qui jacebat in terra, vt ait Auguſtinus, qui ideò corporibus medicinam faciebat, vt animæ ſanarentur: propter illas, erant inſignes illæ curationes; & morbi corporis, quibus medebatur, animæ morbos, febrem, ſurditatem, cæcitatem, paralyſim, ſimilèſque affectiones repræſentabant. Attentiùs perpende ſingula, & ſollicitum ſtudium huius amantiſſimi Medici; *Non egent, qui ſani ſunt, Medico.* Tertiò, ille eſt, qui ſe meritò comparat Gallinæ pullis ſuis addictiſſimæ: *Quoties volui congregare filios tuos, ſicut Gallina congregat pullos ſuos ſub alis, & noluiſti?* O Pater amantiſſime, ego ſum Filius ille prodigus! O Medice diligentiſſime, ex afflictiſſimis illis ægrotis vnus ſum! ô Pater, qui materno homines affectu complecteris, pullus ſum aberrans, qui de ſinu tuo me abſtraxi, vt cæterorum more ruerem in perniciem! per zelum illum, quo totam Galilæam,

&

& finitimas regiones peragrabas, misere operis tui, & obiecti primorum, & veterum amorum tuorum. Gratiarum actio pro te, & toto genere humano: Propositum.

II. *Punctum.* Filius Dei subibat labores ineffabiles, vt Euangelium, & amoris legem prædicaret. Oppidatim ibat pedes, eleemosynis piorum hominum se sustentans, contemptu, iniurijs & contumelijs appetitus, continuando molestias, & fatigationes illas, tribus integris annis, posteaquam quadraginta dierum jeiunio ad hoc se præparasset. Expende anima mea huius diuini Pastoris solicitudinem erga populum illum, quin & erga nos illius successores: die pascit illos verbo, & exemplo, nocte vigilat, vt eosdem precibus suis tueatur.

III. *Punctum.* Semper patuit zelus illius, sed præcipuè in conuersione mulieris Samaritanæ: fatiscebat ex itinere, & inedia: loco tamen cedere priùs non vult, quàm prædam cæperit, *fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem.* De cibis

inijcitur sermo: *Alium*, inquit, *cibum habeo manducare, quem vos nescitis*: Hic cibus meus est, hæc quies, conuertere istam animam. Tot conuersiones aliæ; tot ardentissimæ prædicationes; vt de ijs diceretur: *Nunquam sic locutus est homo*: quarum vni cessit Magdalena; hæ minæ inferni, iudicij, eorúmque, quæ ad alteram vitam spectant; istæ Parabolæ, seu Historiæ de vinea, de diuite Epulone, & alijs, manifestissimè zelum illius testantur.

Colloquium ad IESVM, vt dignetur nobis largiri zelum suum, tum ad nostram, tum aliorum salutem procurandam. Pater. Aue.

Recollectio. Lectio Thomæ de Kempis fortuita. Rosarium. Visitatio Venerabilis Sacramenti. Cæna. Recreatio. Litaniæ Sanctorum. Visitatio Venerabilis Sacramenti. Præparatio Meditationis in crastinum. Examē conscientiæ. Quies, ad quam te componens cordi tuo imprime Mariæ nomen, vt eius illa Custos sit.

SEPTI-

Christo confixus sum Cruci. VII



SEPTIMVS DIES.

De virtutibus in Paßione & Morte Christi imitandis.

ADest, Hagiophila, dies molestissimus Seruatoris nostri: Viginti quatuor postremæ horæ continent Epitomen eorum omnium, quæ per annos triginta tres gessit. Sæculis opus foret, vt perpenderentur singula, quæ paucis hisce horis acciderunt. Inprimis, virtutes omnes, quàm aliàs, illustriores apparuere. Verùm duas potissimùm attendo; Resignationem illius, & Patientiam; si aliæ etiam se insinuant, tuum erit illas æquè atque alias, quas tibi propono, imitari.

Visitatio Venerabilis Sacramenti, & præparatio ad meditandum.

I. MEDITATIO.

De Resignatione Filij Dei tempore Passionis.

Oratio præparatoria consueta.

I. PRæludium. Propone animo Seruatorem in Horto orantem, humi

proſtratum, & dicentem: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte, veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat.*

II. *Prælud.* Pete gratiam à Deo vt benè intelligas, quanti momenti ſit hæc Reſignatio Seruatoris noſtri, vt eam oblatis occaſionibus imitêre.

I. *Punctum.* Maxima fuit hæc Filij Dei in Patrem Reſignatio: velle quidquid ille quoad Paſſionẽ volebat. Primò quod patiendum illi erat, fuit tam atrox & inſolens, vt S. Hieronymus aſſerat, nemini hactenus innotuiſſe omnia, quæ ille tolerauit; dolores illius fuiſſe ineffabiles, neque magnitudinem illorum, ab vllo homine in hac vita, concipi poſſe. Omnia præuidebat, & capiebat Seruator, & nihilominùs ſe reſignat. Secundò, obtulerat ſe Deo Patri, vt pro nobis etiam ſummo juſtitiæ rigore faceret ſatis; ah! ſi ob vnicum peccatum mortale, tanta tormenta homo ſuſtinet in inferno, & ob veniale in purgatorio: quid apprehendiſſe IESVM cenſes, qui extremum jus luere debebat tot millenorum & mille-

millenorum millium peccatorum? juxta naturæ appetitum eximi quidem voluiſſet, accommodat ſe tamen Patris voluntati: *Pater, ſi poßibile eſt, tranſeat à me calix iſte, veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Tertiò, vlterius proceſſit; plus paſſurus erat, quàm mererentur ſcelera mortalium; & paſſurus dolores adeò intolerabiles, vt niſi vita miraculo prorogata fuiſſet, moriendum illi fuerit ſolo malorum imminentium metu. Vnde meritò aiebat: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Et reipſa, niſi diuina vis animam retinuiſſet, in iſto ſudore ſanguineo, obrutus triſtitia & tormentorum apprehenſione, in iſta flagellatione, & in iſta ſpinea coronatione, viuere deſijſſet. Enimuerò formidabat tot, támque enormia ſupplicia; ſed animi reſignatio in Dei Patris voluntatē, facit, vt ad omnia promptum ſe exhibeat. Vnico ſuſpirio, vnica ſanguinis guttulâ ſatisfeciſſet omnibus, at paratiſſimus eſt ad extrema, ſi Patri placuerit. Quartò, videbat omnem hominum

minum perfidiam, omnia illorũ ſcelera; inutiliter ſanguinem ſuum profundi, tot dolores tantáq; tormenta ſubiri, ſine vllo fructu, hæc incredibili mœrore animum percellebant: nihilominus vult, ſi Pater velit. O amabiliſſime Redemptor! ecquando tandem me diuinis tuis voluntatibus accommodabo? quantumuis magnæ occurrant difficultates, & plurimùm appetitus meus naturáque reluctetur?

II. *Punctum.* Reſignatio Filij Dei fuit admirabilis in ijs omnibus, quæ Carnifices voluêre, ad torquendum ſacroſanctum illius corpus. Huius dicti veritatem collige ex eo, quòd *Pilatus tradidit eum voluntati eorum*; hinc, permiſit caput ſibi ſeptuaginta crudeliſſimarum ſpinarum aculeis configi, hinc ſuis humeris aſſumpſit pondus Crucis intolerabilis; vellent plura peioráque Carnifices, vellet etiam Ieſus. O amabilis Redemptor! modò agnoſcant homines ſe diligi à te, & maximè tibi cordi eſſe, ſalutem illorum æternam! paratus es ad omnia

omnia, quæ volent hoſtes tui, ah! cur non ſimili affectu excipio contradictiones hominum, eáſque, propter amorem tuum, gratas habeo?

III. *Punctum*. Reſignatio Filij Dei eô vſque proceſſit, vt paratus fuerit etiam omnia, quæ à dæmonibus inferrentur, ſuſtinere. Ab his, teſte Chryſoſtomo, poſſeſſi fuere barbari illi milites, qui eum flagellârunt. Perpende hanc lanienam; iſta ſex, & amplius millia ictuum; illam flagellorum mutationem; iterationem Carnificum cùm pulſando fatigarentur; nihil aliud iſta ſunt, quàm furia militum obſeſſorum, & dæmonum, qui hos ſatellites ad tantam crudelitatem ſtimulabant. Et optimus Ieſus ad hæc erat promptiſſimus, quin & ad peiora, ſi inferre voluiſſent. Quid accidere mihi, poſt hoc exemplum, poteſt, ad quod non debeam eſſe Reſignatus?

Colloquium ad Saluatorem, cũ proteſtatione: nihil aliud impoſterùm volendi, quàm quod ipſe vult & permit-

tit, vndecumque id eueniat; cum plena detestatione & abnegatione nostrę propriæ voluntatis, cùm illa laxet habenas cupiditatibus omnibus, & præcipua miseriarum nostrarum sit origo. Pater. Aue.

Recollectio: Elige diurnam tesseram. Placebit hæc, cùm sit magni illius Episcopi Geneuensis: *Viuat Iesus qui per mortem, monstrat amorem nobis fortem.* **Vel ea S. Teresiæ:** *aut pati, aut mori.*

Sequitur Officium, aut alia Precatio vocalis. Tum Sacrum. Deinde Lectio.

DISSERTATIO
MATVTINA.
De Mortificatione.

DVrum vocabulum est, Hagiophila, quod vestibulo huius dissertationis præfigo. Aut nullo, aut admodùm in exiguo amore est Mortificatio. Plures eam nolunt experiri, & magni beneficij loco acciperent, si nullus vnquam de ea sermo apud illos institueretur. Ægri sunt, qui cuperent sanitatem, sed remedia sine quibus ea recuperari non potest,

test,oderunt, Laudetur Deus,quòd non sis ex eorum numero. Tuum illud sanctimoniæ, & perfectionis desiderium satis testatur, te Mortificationem diligere, tibique placere, vt quid de hac sentiam, liberè profitear. Operam verò luderem; si tibi eam proponerem, veluti omnibus mortalibus, cuiuscunque sint conditionis, necessariã; jam pridem est, quòd scias hominem peccato esse deprauatum, debilitatúmque, cui cupiditates & caro continuum bellum moueant, rebelléntque aduersus spiritum, ac proinde necessarium illi esse, vt se mortificet, & mortificationis fræno subigat rebelles illos appetitus, rationísque imperio substernat; vt idcircò dixerit Iob, vitam hominis super terram, esse militiam, quâ seponi arma non possunt, sed semper ad manum esse debent. Nihilò magis ignoras, quòd ij, qui peculiare perfectionis studium profitentur, vti tu, debeant se huic exercitio impendere, cùm ad insignem aliquem virtutis gradum peruenire non possint, nisi singulari

lari curâ, eáq; assidua oppugnent appetitus naturales, séque abnegent; vim perpetuam inferentes naturæ suæ, & continuò in sensuum custodiam excubantes; vnde meritò sancti Patres statum Religiosum, verum Martyrium appellitârunt. Scis omnia, & plura, quàm ego suggerere tibi possem, de Mortificationis necessitate comprehendis, si intelligis dictum istud Seruatoris: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Plus hic vno verbo insinuatur, quàm contineant libri omnes, qui de mortificatione loquuntur. Et cùm iam dudum ista didiceris puto maiorem me gratiam apud te initurum, & vnà lucrum temporis facturum, si potiùs tibi declarem conditiones, veræ & vtilis mortificationis, quàm si ijs immorer, quæ iam antè cognita perspectáque sunt.

Incipiamus ab ea, quæ, meo iudicio, est omnium pulcherrima: pulcherrimam autem censeo, quæ vniuersalis est, & vbiq; reperitur; S. Ignatius eam continuam vocat: *Continuam in rebus omnibus*

bus mortificationem. Oportet igitur, vt ſit in corpore, reſecando amorem illum, quo in id, eiuſque commoditates ferimur, & cuius defectu, Hoſius Cordubenſis Epiſcopus, ex mente S. Hilatij, ſe perdidit: *Quod ſepulchri ſui nimium amans fuerit*, id eſt, nimis corpus ſuum coluerit: totque, cum illo, alij æternum periêre, quòd carnem ſuam luxu eduliorum & veſtium, alijſque ſenſuum delitijs & voluptatibus nimiùm indulgenter habuerint, cùm obſequi D. Paulo debuiſſent, dicenti: *a Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris.* Quod ideo non adfero, vt ingentes quaſdam auſteritates & inſolitas pœnitentias ſuſcipias, vt imiteris B. Eleonoram de Vanegas Religioſam Tertij Ordinis S. Dominici, cuius victus ordinarius, pane & aqua conſtabat, & lauticiarum loco, coctis herbis; quæ nudis, hyeme, pedibus ambulabat, quæ humi cubabat, aut in aſſere, ſaxo cer-

a 2. Cor. 4.

ceruicalis vicem ſubeunte; cui cilicium diu noctuque humeris affixum (ſcalprū illud erat ex ferro, quod ita carnem penetrabat, vt à morte auelli non potuerit, quin ſimul corporis partes abſtraherentur) quæ modico ſomno vtebatur, vt largiùs orationi vacaret; cui frequens per ſeptimanam flagellatio, & plerumque cruenta, vt omittam eas, quas in honorem Patronorum, & aliorum Sanctorum celebrium, adhibebat. Non ago, vt tali ratione tractes corpus tuum, auertat Deus: ne quidem vt facias, quod B. Maria de S. Spiritu eiuſdem Ordinis, quæ corpus ſuum triginta quatuor diuerſis locis candelula adurebat, vt Chriſtum patientem imitaretur, & ſolatium aliquod purgantibus animabus adferret; neque vt vſurpes cilicium inſolitæ aſperitatis, aut ſupponas crinibus inſignem ſpinarum numerum, vti fecit B. Maria de Purificatione, itidem eius Ordinis, inuento ad maximos cruciatus idoneo. Non conor talia tibi tormenta perſuadere, quando te ad corpo-

ris

ris mortificationem inuito. Ad Spiritum Sanctum spectat ea suggerere: sufficit mihi, vt dicam, macerandum & mortificandum esse corpus, cum prudentia & moderatione; non concedendo illi, quidquid postulat, & tantum pœnæ, & doloris illi infligendo, quantum ratio nobis dictabit, & ij, qui nos regunt, permittent: Frustra enim existimamus obtineri cælum posse, nihil patiendo, & carni indulgendo quidquid appetit: a *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.* Vt credamus nos delicijs deditos, nolentesque vt vel minimum corpori desit, quo eius cupiditatibus satisfiat, peruenturos ad culmen virtutis & perfectionis, nimia & insana fiducia est, fieri hoc nequit: *Sapientia non inuenitur, in terra suauiter viuentium.*

Mortificatio hæc, uon tantùm corpus, sed etiam spiritum afficere debet, vt rationi subijciatur: frænanda igitur voluntas est, deponendum judicium proprium,

a *Coloss. 2. 5.*

prium, frangenda pertinacia, non standum suis sententijs, & opinionibus: omnes affectus iræ, odij, vindictæ, doloris, amoris, gaudij, inuidiæ, auaritiæ, ambitionis compescendi. Vbique esse, & dominari debet mortificatio, vbique sibi vim adhibere oportet, ne hostis humani generis aliquod de nobis lucrum referat, & vt generosis nostris certaminibus eam recuperemus innocentiam, quam vitio primi Parentis amisimus: Tali vsu mortificationem præstabimus vniuersalem, & maximè gloriosam. Sed vt clarius me explicem, vide quo fieri modo possit vniuersalis. A summo mane, à prima cogitatione, quæ euigilanti occurrit, vsque ad vltimam, cùm somnus initur, mortificatio sit continua. Neque vlla prætereat actio aut opus, vbi affirmare non possim, me mortificationem quæsiuisse, saltem in aliqua circumstantia. Excitaris mane vt surgas, nullo consilio cum ceruicali inito, proripe te statim & te mortifica. Prima diei mortificatio est, has Deo primitias offer.

offer. At non edormiui, non ſatis quieui, adhuc pauxillum, & ſufficiet. Heus! ſurge & admitte hanc mortificationem. quid? omniane corpori indulgebis? ſed non ſuccedet Oratio, noui me, & frequenti experientia didici, toties me fructum nullum ex Meditationibus retuliſſe, quoties plenè non edormiueram. Heus! proripe te, & magno animo te mortifica, plus meriti hæc mortificatio adferet, quàm vnius horæ Oratio. Surgam equidem, ſed commodè, ſeu vt frigus declinem, ſeu vt conuenientiùs me lauem, ſeu vt inter veſtiendum aliquas precationes perſoluam. Heus! promptè fac & diligenter, etiam in hoc te mortifica, & feſtina ad ſalutandum Venerabile Sacramentum, ſi in tuis ædibus eſt, vt cæteros eo ſalutationis officio anteuertas. Quid dicet aliàs Angelus tuus tutelaris, qui ſtudioſè attendit an Deus diei primitias a te ſit obtenturus? quid dicet, vbi viderit corpus tuum præualere, & hoſtem de tua deſidia, & immortificatione lætari? Ain' for-

fortaſſe, tantilla ab Angelo non curari? imò verò, maiore eum ſolatio afficere non poſſes: ab hac prima mortificatione de totius diei euentu bene ominatur. Nimis quàm certum eſt, hanc vim & ſanctam ſurgendi promptitudinem, illi eſſe acceptiſſimam. Plenæ ſunt ſanctorum hiſtoriæ, & fidem faciunt, ipſos etiam Angelos Tutelares, non raró Excitatorum officio functos, idque tamdiu geſſiſſe, donec ſancti illi minùs ſe in ſurgendo promptos exhibuerunt, tunc verò, quaſi talem deſidiam deteſtarentur, poſtridie non excitaſſe, aut quamdiu culpam illam clientes non expiaſſent: quod euidens argumentum eſt, illos non parùm ſimili negligentia offendi. Inſtar omnium erit quod noſtro æuo accidit: Deuota Anna Santonica è Sodalitate Vrſulinarum, eam gratiam à Deo obtinuerat, vt ab Angelo ſuo ſemper his verbis: *Anna, ſurge* excitaretur. Vix Angeli vocem audiebat, quin ſtatim, & admirabili diligentia ſe proriperet è lectulo. Verùm euenit aliquan-

quando, vt paululùm tergiuerſaretur, & ſenſim iterum indormiret, cùm redijt quidem Angelus, ſed voce ſolito acerbiore. *Domina*, inquit, *non placet ſurgere?* ſuffecit ea monitio, vt illicò obtemperaret, culpamque agnoſcens & pœnitens ſtatueret, in poſterum non tergiuerſari.

Hagiophila, hanc mortificationem tibi potiſſimùm ad exemplum produxi, quòd ignorem, quas alias huius exercendæ occaſiones habeas, & certus ſim, hanc tibi non defuturam. De cætero per diem continuò mortificationi intenta ſis, neque tibi parcas. Dum egrederis in publicum, oculorum cohibe curioſitatem, ne aſpice, quod deſiderare non licet, viſum depreſſum & modeſtum gere: Magdalena Redonia tertij Ordinis Dominici Profeſſa, quæ paucis ab hinc annis ſanctimonia Toloſæ claruit, per vrbem incedens nihil præter ſilices & lutum intuebatur, & qua moleſtius iter erat, gradiebatur. Dum verſaris inter homines, in eorum faciem ne obtu-

obtutum defigas, seu reuerentiæ, seu modestiæ gratiâ. Vidit aliquando S. Mechtildis, dum festo S Ioannis Euangelistæ sacris interest, B. Virginem, & hunc S. Apostolū, illustrem radio splendoris admirabili, qui ex oculis emicans in faciem Deiparæ dirigebatur, dumque hæret isto prodigio attonita, audit à Ioanne: illum, dum inter mortales viueret, ea fuisse erga Virginem Matrem reuerentia, vt defigere in illam oculos nunquam fuerit ausus. Saltem eorum vultum, qui sexu differunt, ne aspice, & ea sit aliquando tuæ mortificationis materia. B. Aloysius Gonzaga in vultum fæminarum nunquam intuebatur, ne Imperatricis quidem, etsi aulicis officijs ei deseruiret. S. Clara de Montefalco, hac etiam in re studebat mortificationi, & oculos à viri facie abstinebat. Offert se aliqua curiositatis occasio? adhibe mortificationem. S. Carolus Borromæus nunquam per vllam fenestram prospiciebat. Pia Magdalena Redonia cuius etiā antè memini, quando ad

do ad illam filij litteræ deferebantur, ad tres quatuorue dies tenebat obſignatas, tum vt curioſitatem ſuam fr[illegible]naret, tum vt teneritudinem affectus materni compeſceret. Id ſubinde imitari, cùm à charis epiſtolas accipimus, foret mortificatio Deo acceptiſſima. Tempeſtas frigida eſt? ampla mortificationi ſeges offertur, ſi toties ad ignem non accedimus, quoties cupiditas eò nos rapit. B. Ioanna de S. Catharina, Religioſa Ordinis S. Dominici penè igni per hyemem iraſcebatur, quòd carnis ſuæ delitijs, tam eſſet accommodus; vnde in aſperrimis frigoribus, tot præceptis adigi ad focum debebat, quot adhibenda ſunt, vt delicatulus quiſquam, & otioſus inde auellatur. Aliquis te verbo, repulſa, contemptu, aut alia ratione offendit: Optimè, iam præclara adeſt te mortificandi occaſio ſi taces, ſi non quereris, ſi pro eo deprecaris qui iniuriâ te affecit. Soror Maria de Aſcenſione, Religioſa Hiſpali, in Monaſterio B. Virginis de Gratia, ſi moleſto, aut aculeato

aliquo

aliquo dicto perstringeretur, illicò se proripiebat ad SS. Eucharistiam, gratias actura, & tum candidè, simplicitateque admiranda dicebat: En, Domine mi, munus, quod ad te defero, vt acceptum sit precor, & ignosce sorori meæ, cui non cogitanti talia exciderunt. Versaris in periculo violandi silentij, aut Regulæ alicuius, aut præstandæ inutilis & otiosæ vrbanitatis? generoso recessu, & mortificatione declina. Memoriæ proditum est, de Ioanna Celersia Atrebati Religiosa, quòd rarò ad locum congressûs, & colloquij adiret, neque vnquam, nisi de rebus omninò necessarijs, loqueretur. Vnde ab alijs quibusdam sororibus, maiori licentiæ deditis, soror syluestris appellata est, sed illa tali conuitio immobilis à sua consuetudine non recessit, semper seria & accurata in omnibus, quæ illi mortificatio suggerebat. Cibum sumis? etiam hic, in quo frangas appetitum tuum, reperies, siue à qualitate ciborum, siue à quantitate. Nunquam sine aliqua vi-

ctoria

ctoria recedendum eſt. Nolim tamen, vt ſolicitudinem Magdalena Redoniæ imiteris, quæ eo tempore, ſic in omnes mortificationis occaſiones intendebat, vt rogata aliquando à Confeſſario, quot victorias in vnius oui comeſtione, de ſe reportaſſet; minimum octo recenſuerit. Omitto cætera in quibus exerceri hæc virtus poteſt, ex his quæ attuli, facilè de reliquis judicabis. Gradum faciamus ab vniuerſali mortificatione ad particularem, quæ eſt omnium maximè neceſſaria, intelligo illam, quæ eſt vitiorum noſtrorum & affectionum. Quiſque ab vna præcipuè paſſione diuexatur: *Nemo ſine defectu, nemo ſine onere,* inquit Thomas de Kempis. Et in ea mortificanda, & debellanda potiſſimum ſtudium collocari debet, iſque dies perijſſe exiſtimandus eſt, quo nihil aduerſus hunc geſtum, nulla victoria relata eſt. Vnde vtiliſſimum eſt, non ſolùm manè, ſtatuere quoties oppugnare illam velis, verùm etiam præuidere huius pugnæ occaſiones, vt animus maiori

iori generositate præparetur. Nimis prolixus forem, si vellem pluribus mortificationis huius momentum tibi commendare, sufficiet, si vniuersè de hac, & quauis alia affirmem, tantum te habituram virtutis, quantum mortificationis, nec hilo amplius. & deinde in cælo tantum te gloriæ adepturam, quantum retuleris de appetitibus, de affectibus tuis victoriarum.

Si non sufficiant hæc, lege prima quinque capita Tract. 7. quæ de Passione Christi sunt, in secunda parte Rodericij. Aut cap. 12. l. 2. de Imitatione. Post lectionem renoua deuotiones tuas, erga passionem seruatoris. Plures in *sancto fauore*, à me conscripto, reperientur. Lectio 45. Deuotionis seruire poterit, pro præparatione Meditationis sequentis.

II. MEDITATIO.

De Amore Filij Dei erga proximum tempore Passionis.

Oratio præparatoria solita.

I. PRæludium. Propone tibi seruatorem Discipulis suis dicentem: *Baptismo habeo*

habeo baptizari, & quomodo coarctor, donec perficiam! Baptiſmus hic ſanguinis eſt, quem in Paſſione ſua pro nobis effundere deſiderabat.

II. *Prælud.* Pete gratiam pernoſcendi iſtum Amoris exceſſum, quem Dei Filius, poſtremis vitæ ſuæ horis, erga homines teſtatus eſt, quaſi per triginta tres annos non ſatis eum declaraſſet.

I. *Punctum.* Nullo certiùs indicio proditur Amor, quàm ſi Amans pati deſideret, pro Amato. Votum hoc fuit maximum ſeruatoris noſtri, vnde nulla loca declinabat, quibus præuidebat ſe aliquid paſſurum Ita adijt Hortum Oliuarum, vbi capiendus erat, ita rogare noluit Patrem, vt ad tutelam ſuam mitteret Legiones Angelorum; ita facultatem ſe inuadendi dedit militibus, quos verbo in terram proſtrauerat; ita nullum apud Herodem miraculum patrauit, ne liberaretur. Denique ex vi huius deſiderij, Cruci affixus ſe ſitire, dixit: *Sitio.* Verè quidem iſtud de Siti corporali, multò tamen magis ſignificabat

cabat ſitim ſpiritualem animarum noſtrarum, & ſalutis hominum. Et veroſimile eſt, poſt ſingula tormenta dixiſſe illum: Sitio pati hæc & ampliùs, tum ex amore, quo erga Patrem feror, tum ex vehementi deſiderio ſaluandi genus humanum. O quis mihi det tale deſiderium, tantam ſitim patiendi pro IESV in ſignum affectus mei, & ſatisfactionem meorum delictorum! ah quid eſt quod deſidero, ſi non deſidero pro IESV, quod IESVS tantopere deſiderauit pro me!

II. *Punctum*. Eò illum abripit Amor, erga homines ardentiſſimus, vt deſiderauerit pati omne genus tolerandorum, omni loco, & omni tempore; etiam vſque ad mundi finem, ſi ita DEO Patri viſum fuiſſet. Atque huc referri poſſunt verba illa: DEVS, DEVS *meus, quare me dereliquiſti*? Tibi placet, vt Clemens Ancyranus longum plurium annorum Martyrium ſubeat, vt in craticula torreatur Laurentius; vt Bartholomæo cutis detrahatur; lapidibus obruatur

matur Stephanus; totque alij crudelissimis diuturnisque cruciatibus torqueantur, imò vsque ad finem mundi, erit continuus ordo patientium; cur mihi istam gratiam non facis, ô Pater, vt eorum loco solus omnia singulorum tormenta sustineam, ad diem illum extremum? abnuis hoc, Pater, & sic me derelinquis: me vnicum & dilectum Filium tuum? Mundi rerumque terrenarum amatores, cedite mihi amorem, tam insatiabilem, vt nunquam saturari possit patiendo pro eo, qui tanta pro me pati voluit, & vobis cedam delicias omnes, omnes quas, vel voto, offerre mihi possetis.

III. *Punctum.* Tantus fuit illius in proximum Amor, vt affixus Cruci orauerit, pro inimicis suis: *Pater ignosce illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Quò progredi vlteriùs Amor potest, quàm vt oretur pro ijs, qui maleficio nos impetunt, qui nobis iniuria summa, ignominiaque, crudelitatibus inauditis, & diabolicis vitam eripiunt, & deinde, o-

ptima qua fieri poteſt ratione, excuſentur? fecit id Dei filius. Expende quàm foret actus ille generoſus, ſi condonaremus culpam non vni, aut alteri, qui in nos deliquiſſet, ſed pluribus, maximè, ſi foret in poteſtate noſtra, eos punire, aut vindicare; ſi conditione dignitateque excelleremus? Seruator eximius fuit in his omnibus, & in teſtificatione amoris ſui incomparabilis. Quando tam beneuolè excepit Iudam proditorem ſuum; appellando Amicum: *Amice ad quid veniſti?* quando ignouit Latroni peccata & iniurias, quibus illum petierat, Paradiſum promittendo; & alijs quibuſdam occaſionibus ſatis declarauit benignam animi ſui in hoſtes propenſionem. O Deus bonitatis infinitæ! concede mihi gratiam, vt ignoſcam hoſtibus meis, eos beneuolo animo excipiam; illos amem. Quod ſi à me hactenus neglectum eſt, ignoſce ô Deus miſericordiarum, neque enim ſciui, quid facerem.

Colloquium ad Patrem æternum, vt me

me habeat in numero eorum, pro quibus Filius ipsius orauit, deinde ad Filium gratias agendo, quod pro me Patrem orare dignatus sit. Pater, & Aue.

Recollectio. Visitatio Venerabilis Sacramenti. Examen Conscientiæ. Prandium. Recreatio. Tempus scriptionis, quod, si alia desit materia, impendes notandis eorum nominibus, qui singulari aliqua iniuria te nonnunquam affecerunt, aut quos à te scis auersos & alienos, vt subinde, maximè diebus Veneris, pro eis ores nominatim, eaque ratione ostendas te ijs ignoscere propter illum, qui Crucifixoribus suis ignouit.

Sequitur hora lectionis.

DISSERTATIO POMERIDIANA.

De Lingua.

ADmirabilis Prudentij Poëtæ genius est, dum verba faciens de generosa Machabæorum Matre, metuente ne timor cruciatuum ignauam aliquam è filijs vocem exprimeret, simul atque priori lingua est exsecta, introducit

eam præclarè exclamantem: *satis: iam parta nobis gloria est.* Post amissam linguam optimum successum, & gloriam licet ominari.

Linguam Tyrannus amputari iusserat
Vni ex Ephebis; Mater aiebat: satis,
Iam parta nobis gloria est.

Videbat illum exemptum periculo fidei abnegandæ, neque posse quidquam linguâ profiteri, quod illi aduersaretur; vnde magnis incedebat lætitijs, & malebat elinguem filium habere, quàm eius periculosi membri damnis vitijsque expositum. Vnicum verbum impertinens, vnicus linguæ lapsus corrumpere potest omnia. Lingua gladius est, sed furiosissimus, sed periculosissimus, sed quouis ense acutior. *Multi ceciderunt in ore gladij, sed non sic, quasi, qui interierunt per linguam suam.* Plures vna occidit, quàm omnes totius orbis acinaces. Quid à me exspectas, Hagiophila, post hanc amputatæ linguæ felicitatem? fortè vt dicam ad euitanda innumera mala, & ad gloriosè viuendum

mo-

moriendumque, carere linguâ oportere? Deus auertat illam à me mentem, & intentionem. An potiùs vt te moneam, si viuere sanctè, religiosè, & in securâ perfectionis semitâ cupias, necessarium omninò esse, vt sæpe te geras quasi elinguem, & cui lingua exsecta sit? qui id profectò faceret, euidens haberet suæ salutis argumentum, & cum illustri illa Matre dicere posset: *Satis, iam parta nobis gloria est.* Facilè aduerteris, me illa hactenus attulisse in dissertationibus meis, quæ ad spiritalem tuum profectum, maximè videbantur opportuna, verùm tibi persuadeas, velim, tanti esse momenti illud, quod modò de lingua dicturus sum, vt de commodo, & vtilitate nulli alteri materiæ concedat.

Plurima de lingua proferri in medium possent, sed quis modus tantillo otio, quod mihi tecum conceditur, cuncta pertexendi? quare sufficiet, si tibi commendem, vt malè de nullo loquaris, neque per modum querelæ, aut mur-

murationis, neque per calumniam, aut iniuriam. Atque hac in re potissima cura adhibenda est, vt sine lingua esse videamur. Vt verò mentem meam meliùs assequaris, duo notanda præmitto, quæ circa huius rei defectum in Communitatibus animaduerti. Multorum annorum vsus & experientia, magnus & sciens Magister est, qui sæpe plura nos docet, quàm scire desideraremus. Animaduerti igitur nonnullos ad fucorum, & Apum naturam proximè accedere, dum mordent, & linguæ spiculo eos configunt, qui volunt auferre mel, illumque dulcem liquorem sugere virtutis, tantoperè Deo, & Angelis acceptæ. Ita nimirum aliqui tam malè à natura compositi sunt, vt nihil illis sit familiarius, quàm pungere, vexare, & conuitijs prosequi eos, qui virtutum exercitio, & regularum obseruationi studiosè se dedunt, quique nihil aliud quærunt, quàm mel deuotionis, & sanctitatis. Illi homines tantis aculeis bonos illos Patres & Fratres, bonas illas

Ma-

Matres & Sorores impetunt, vt res ſit commiſeratione digniſſima. Si quis in rebus ſuis peragendis exactus accuratuſque ſit, dicent eſſe ſcrupuloſum; ſi paupertatis ſit amans, de animi abiectione & tenacitate criminabuntur; ſi promptum & obedientem ſe præſtet, aient eſſe ſimplicem atque ſeruilem; ſibi ingenium eſſe liberalius, non ad ſeruitutem natum; & quiſquis Ouem ſe fecerit, eundem facilè à Lupo deuorari. Adeo quidquid agant ij, qui virtutum ſtudio incumbunt (quia tacitè per bonam vitæ ſuæ rationem, mores aliorum tepidos, & liberiores reprehendunt) alij continuò obtrectant, improbant & in peiorem partem interpretantur, donec veluti in rabiem acti peſſima quæque, ſeu clam, ſeu palam, indicto bello moliuntur, & inuoluant veſparum inſtar venatarum, aut tanquam ſpinæ igni iniectæ perſtrepunt, inſolentibus & detractorijs verbis; quemadmodum olim à nonnullis aduerſus probum Dauidem factitatum eſt: *Circumdederunt me ſicut*

Apes, & exarserunt sicut ignis in spinis.

Alterum quod notaui est, plures reperiri Absolonis imitatores, qui malè volunt Dauidi & ijs omnibus, qui cum illo consentiunt, illique adhærent; aut qui saltem continuò ijs obtrectant. Funesti & ingrati Absolones! qui amare nequeunt, neque benè loqui de suis superioribus; quique molestè ferunt, aliorum cum illis consensionem; vnde in Patrem & filios, sexcenta pessimæ linguæ spicula intorquent; inuidia & æmulatione rumpuntur, & consumuntur, ita vt nullum leuamen, nisi à maledictis, in insontes vibratis haurire posse videantur. Reperies inter rebelles illos & occultos parricidas, qui planè dicere audebunt: Ne tali fidas, benè illi cum superiore cónuenit; ô si æque tibi atque mihi perspectus foret! non est, quod esse videtur, probè cauerò, ne me illi adiungam. Infortunati Absolones quousque alieno sanguine, & dispendio famæ alienæ pascetis male-

ledi-

ledicam ſitim veſtram? ecquando tandem veſtro ſanguini, in perſona Patris & fratrum veſtrorum parcetis? aliquídne optari in domo Religioſa melius & ſanctius poteſt, quàm amor & vnio membrorum cum capite, & filiorum cum Parente?

Ab his notis tranſitum faciamus ad iniurias, quas tales ſibiipſis inferunt, & ad commendationem, quam facere tibi inſtitui, ne vnquam de vllo, ne minimum quidem, malè loquaris. Iniuria, quam ſibi faciunt, in eo conſiſtit, quòd iſta linguæ lubricitate ſe præcipitent in grauiſſimas animi anguſtias; incredibiles pœnæ & cruciatus intolerandi ab illa maledicendi licentia promanant, maximè cùm tranſit in conſuetudinem, aut in grauia verba erumpit, quemadmodū procliue eſt in vſu familiari, & quotidiano. Vnde Sapientis præclara ſententia eſt: a *Qui cuſtodit linguam ſuam, cuſtodit ab anguſtijs animam ſuam*; à preſſura, à torturis, alij legunt. Prætereamus

a *Prouerb.* 2.

eas anxietates & angustias, quas subeunt hac occasione sæculares, siue in vita, siue in hora mortis; vti misero illi accidit, qui maledicendi vitio deditus, cùm parum à morte abesset, linguam protrusit palàm intumescentem, sæpe iterans voce lamentabili: a *Ista pessima lingua me dãnauit*, quæ vltima fuerunt verba exspirantis. Tantùm loquamur de angustijs, quæ accidere possunt hominibus Religiosis, si fortassis hac in re delinquunt. Et inprimis, video angustiam esse maximam, versari in periculo Deum lethaliter offendendi, & sollicitum esse, num id, quod diximus, lethale sit peccatum. Id maledicis vsuuenit; potéstne animæ, quæ Deum amare debet, & cupit aliqua crux fingi acerbior, aut horribilior? posse autem faciliùs in hac materia committi peccatum mortale, quàm existimetur, certissimum est, neque puto id à te ignorari. Si verò dubitas, lege, quæ proponit Rodericius secundâ parte, capite nono Tractatûs secundi, vix enim ea

a *Ex Histor. Angl.*

ea legeris, quin illicò erumpes in Sapientis verba, paulò ante tibi commendata; *Qui custodit linguam suam, custodit ab angustijs animam suam*: Quòd si post serium examen eius, quod de altero dixisti, iudices aut saltem putes esse mortale peccatum, ô quantæ tum animi angustiæ, quanti cruciatus, præsertim si aliquo perfectionis studio teneris? nam consultum tunc est, vt non priùs lecto te credas, quàm confessione culpam expiaueris, petierísque veniam ab offenso, si fortè læsa grauiter charitas est, vti in industrijs suis monet P. Claudius Aquauiua. At istis omnibus obnoxium se reddere, fieri putas sine tormento? quin aio, tormentum esse grauissimum, maximè quibusdam ingenijs gloriosis, quæ naturæ quâdam propensione à talibus humiliationibus eximi percuperent. Putas ergo non esse aureum Sapientis pronuntiatum: *Qui custodit linguam suam, custodit ab angustijs animam suam?* quando verò instituenda erit confessio extraordinaria, quando exercitijs, renouationi,

& reddendæ conſcientiæ rationi vacan-dum (quo tempore lumina ſunt maio-ra, & velum, quod affectiones noſtræ oculis prætexebant, deponitur) arbitra-re an pœnæ futuræ ſint leues, præſertim ſi notabiliter & ſæpe peccatum eſt? age-tur de reparando honore læſorum, for-taſſe plures exiſtent, reparatio erit diffi-cilis, ignominioſa; in ipſa etiam confeſ-ſione difficillimum erit ſe ritè explicare, diſtinguere, & benè manifeſtare; & vti-nam in hora mortis ob negligentiam hac in parte admiſſam, nobis conſcien-tia noſtra & dæmon non exprobret eam loquendi libertatem, quódque tam faci-lè noſtras de alijs opiniones protuleri-mus, & eo modo, quo loqui de nobis alios nollemus: reuerà quò diutius ani-mum aduerto, eò magis conſpiro cum Sapiente: *Qui cuſtodit linguam ſuam cu-ſtodit ab anguſtijs animam ſuam*; ita vt fir-mum ratúmq; mihi ſit, (erit verò etiam omni ſapere volenti) nunquam malè lo-qui de vllo, nunquam, neque vllâ ratio-ne. Nec mihi dicas, Hagiophila, ſubinde

tibi

tibi excidere parua quædam maledicentiæ verba, ſed de quibus loqui operæ pretium non ſit. Itáne verò? audi Sapientem de ſimilibus pronuntiantem: a *Verba ſuſurronis quaſi ſimplicia, & ipſa perueniunt ad intima ventris,* legit Caietanus, *& ipſa vulnera, & percuſsiones.* Modica illa verba, vt ſimplicia videantur, vulnera ſunt. Si læſus inaudierit, abalienabitur, ij quibuſcum communicas, minoris te facient, & tu, niſi cor habeas obduratum, rancorem animi ſenties, perdéſque tranquillitatem, & gaudium internum ob violatam proximi charitatem. *Verba quaſi ſimplicia, & ipſa vulnera, & ipſa perueniunt ad intima ventris.* Et vt illa deeſſent, exiget à te pœnam Deus, aut per deſolationes, aut comunium gratiarum ſubtractionem, aut permittendo, vt in aliorum quoque ore verſeris, & de te vera falſáque diſſeminentur, aut alia aliqua ratione. Animæ etiam ſanctiſſimæ, & cum Deo coniunctiſſimæ, ſi hoc vitio linguæ delinquant, pœnam non

a *Prou. 26.*

effugiunt, iuxta peccati qualitatē. Narrant Annales Cistercienſium, quendam Religioſum eo fauore fuiſſe cælitus affectum, ob præclara virtutū & ſanctimoniæ merita, vt quoties ſacra ſynaxi reficiebatur, toties illo, & tribus proximis diebus ingentem quaſi mellis dulcedinem in lingua experiretur: Accidit porrò, vt verbū paulò aculeatiùs in aliquem intorqueret, & ecce ſubitò ceſſauit ille ſolitus fauor, tantúmq; abfuit, vt in prima ſumptione ſentiret priſtinā dulcedinem, vt etiam expertus ſit magnā amariciem in lingua, & in conſcientia perturbationem, luctam rebellionémque, quam dicti illius memoria excitabat. Adeò conſultum eſt, nunquam malè de altero loqui, & exiſtimare, quòd leuiſſima detractionis verba, graue nobis adferant detrimentrum, diſponántque, vt à diuina manu vapulemus. *Verba ſimplicia, & ipſa vulnera & percuſſiones.* Nunquam aliàs melius aſſecutus ſum aculeos D. Bernardi in rem præſentem: a *Leuis*

a *Serm. de tripl. cuſtodiâ manus, cordis & linguæ.*

Leuis sermo, quia leuiter volat, sed grauiter vulnerat; leuiter penetrat animam, sed non leuiter exit; facilè volat, atque ideò facilè violat charitatem; vilis res est musca moriens, sed exterminat oleum suauitatis. Aliquídne verius & ad persuadendum efficacius dici potest? discamus igitur continere linguam nostram, & de alijs non loqui, nisi optimè. Imò neque illa dicamus, quorum certam habemus notitiam, si alterius honori derogare possit. *Audisti verbum aduersùs proximum tuum, commoriatur in te, fidens, quoniam non te disrumpet*, ait Sapiens. Sed vulgata iam res est, & nota omnibus: nihil refert, loquantur alij, non tu, vt etiam in rebus magis periculosis silere consuescas. S. Ignatius, Patriarcha noster, multa similia sciebat; non propagabat tamen ad alios, neque vllam de ijs mentionem faciebat, tam erat illi cordi nullius famam lædere, & de omnibus honorificè loqui, ita vt quisque crederet se optimâ esse apud illum opinione. At illa, quæ de proximo dissero, iam an-

tiqua

tiqua ſunt, & pridem acta, quid accidere inde incommodi poteſt, ſi illa in ſermonibus ingeram? iam præteriêre omnia, longáque obliuione ſepulta ſunt; idcircò & tu ſepulta non effodias, neque iterum proferas in lucem, & ſermonem. Nobiſcum ſatis negotij habebimus, ſi recolamus propria peccata, vt illa defleamus, & non aliorum, quæ ad nos non ſpectant, vti olim optimè dixit ſanctus Hugo Gratianopolitanus. Et S. Ioannes Alexandrinus Patriarcha affirmauit: *Iniquum eſſe ab homine petulanter exprobrari, quod à Domino clementer condonatum eſt.* Breuiter, nullo vnquam modo alterius fama vellicari debet, ne illorum quidem, qui nobis ignoti ſunt, etſi vulgato rumore traducantur. Neapolitanus Nobilis, honorificè de P. Rudolpho Aquauiua, cùm Chriſti cauſa mortem oppetijſſet, loqui non poterat, neque patiebatur, vt glorioſo Martyris nomine compellaretur, Barbarorum crudelitas, aiebat, illi vitam eripuit eodem perfidiæ affectu, quo plures alios obtrun-

truncant, non in odium fidei nostræ: hic honos illi debitus non est, habeant illum Martyrem, qui volent, non ego. Aduertendum autem est, huic homini nunquam cognitum fuisse illum insignem Dei famulum; vnde accidit, vt proximâ nocte, postquam sacros Martyrij honores summâ pertinaciâ illi denegauerat, sese in somnis Pater visendum præberet, rogarétque, vtrum se de facie & reliquo corporis habitu nosset? eo negante: Cur ergo, inquit, de me loqueris? ego sum Rudolphus ille, cui, iudicio tuo, Martyri esse non licet, quid commisi aduersùm te, vt potissimum gloriæ meæ ornamentum mihi detrahas? postridie, summo manè, Nobilis ad Patres nostros accurrit, proditísque omnibus, quæ noctu acciderant, veniam honoris tanto Christi Athletæ denegati, postulauit.

Scire cupis, quandónam licitum sit de malis proximi cognitis loqui? tum scilicet cùm remedij gratia, & ex charitate eadem illis manifestamus, ad quos eorum cura pertinet, quique corrigere deli-

delictum possunt. Extra hunc casum, si me audis, geres te velut elinguem erga qualescumque proximi tui imperfectiones, & ea sollicitè obseruabis, quæ modò tibi commendaui, vt sis expers illarum, quas maledici sibi accersunt, angustiarum. Et quod generatim à me prolatum est, intelligi maximè debet de Superioribus, illísque personis, quæ non gubernant, vt aduersus eas nullæ querelæ, nullæ obmurmurationes instituantur, carpendo gubernationem, aut agendi modum, *Custodite vos à murmuratione, & à detractione parcite linguæ.* Simul ac Iudæi contra Moysem, Ducem & Gubernatorem suum; murmurabant, illicò Deus ab ijs pœnam sumebat, alia scelera negligere videbatur, sed hoc sine præsenti castigatione non præteribat, neque id leuiter, sed ad plurima millia, sine vllo personarum respectu, ne earum quidem, quæ sanguine erant cum dilecto suo Moyse coniunctissimæ. Testis est Maria illius soror, quam mox leprâ percussit, cùm fratris actionibus obtrectasset;

ſet, & adhuc clementer cum illa actũ eſt, quandoquidem plures alij idem vitium morte luerint. Nunquam Deus ijs parcit, qui in Superiores & Præpoſitos inſurgunt, adeò vt contumeliam illam veluti ſibi, non ijs, illatam vindicet. Argumento eſt hiſtoria, quam S. Bernardus de maledica muliere poſteris reliquit. Peſſima hæc aſſueta quibuſuis obtrectare, auſa eſt aliquando in publicâ plurium coronâ calumniari S. Malachiã, & præſentem iniurijs petere, caluum, hypocritam, alijſque probroſis nominibus compellans. *At ille nihil reſpondit,* inquit S. Bernardus, *quia mitis erat, & verecundus, ſed Dominus reſpondit pro eo,* ſeruíque ſui cauſam ita complexus eſt, vt ſtatim impudens mulier in amentiam inciderit, paulóque poſt infami morte ſit defuncta. *Dominus autem reſpondit pro eo.* Auſit ſubditus aliquis linguæ ſpiculo Superiorem ſuum configere: *Dominus reſpondebit pro eo* ſeriùs, aut ociùs pœnã expoſcet; eam libertatem vindicabit; culpa eſt, quam non relinquet impunitam.

tam. Et hinc disce, Hagiophila, quid ijs, qui tibi præsunt, debeas: sed siue Superior sit, siue alius, memineris nunquam malè de illo loqui, nunquam, etsi perpetuò esses victura. Atque istud Sapientis consilium est, quod bellarij loco tibi relinquo. *Vnusquisque proximum suum non angustiabit in æternum.*

Si hæc Lectio non sufficit, aut displicet, perge ea legere in Rodericio, quæ manè incœpisti, aut lege cap. 19. & 52. lib. 3. de Imitatione Christi.

Sequitur Examen virtutis Patientiæ, omninò hodie ad rem, quando de maxima Christi Patientia agitur.

EXAMEN CIRCA PATIENTIAM.

EN signa veræ & sublimis Patientiæ. Primò, *Silentio præterire, neque respondere, aut par pari referre, quando iniurijs afficimur, aut accusamur.* Secundò, *Omne indicium iracundiæ, & indignationis compescere, ne erumpat.* Tertiò, *Molestias illas secum dirigere, neque queri, nisi amanter apud Deum, orationis tempore; neque*

neque vllo signo externo læsionem prodere. Quartò, *Eadem animi vultúsque constantia irrisiones, despectus, calumnias, dolores, ægritudines, omniáque malorum genera, quin & mortem ipsam tolerare.* Quintò, *Existimare se dignum & promeritũ quænis mala, ob scelera vitæ anteactæ, ideoque omni solatio & quiete indignum, imò grauiora acerbioráque mereri, quàm patiamur.* Sextò, *Pacem & lætitiam internam non dimittere, quidquid aduersi accidat.* Septimò, *In afflictionibus Deum laudare verbis S. Iob:* Sit nomen Domini benedictum. Octauò, *Vires ad tolerandum à Deo postulare, cum ea fiducia, quod omnia possimus in eo, qui nos confortat:* Domine, vim patior, responde pro me. Nonò, *Maiores à Deo afflictiones petere, si sit ad illius gloriam, & salutem nostram, sed vnà, vt robur & patientiam necessariam subministret, exemplo Pij V.* Domine, auge dolorem, sed auge patientiam. Decimò, *Suauiter & sereno vultu ijs respondere, qui te lædunt, si modò necessaria, aut vtilis sit responsio.* Vndecimò, *Amare*

&

& officia charitatis exhibere offendentibus, reddendo bonũ pro malo. Duodecimò, *Orare peculiariter pro illis, qui nos affligunt, aut animo sunt à nobis alieniore.*

Adest tempus Officij, aut alicuius Precationis vocalis. Deinde huius Considerationis.

CONSIDERATIO.

I. QVale ijs probrum, qui Christo Crucem portanti ferre opem recusant. Hoc Crucis extremum non admodùm grauat, solæ occasiones sunt, quas tibi offert, vt pro illo patiaris. Si id exigeret à te, vt manibus pedibúsque affigereris, vt sexies mille ictus flagellorum exciperes, aliquid foret argumenti, quo te difficilem præberes; tantoperè verò tergiuersari, ob extremum Crucis, & propter tantilla, quæ nobis in comparationem eorum, quæ ille sustinuit, toleranda occurrunt, nescio sanè quid excusationis prætexere aliquando poterimus, vbi eam ille ignauiam meritò nobis exprobrauerit.

II. Ex mente D. Bernardi, multa bona

na agere, & multa mala pati, Christianum est. Vnde igitur ego, qui peculiari quâdam ratione virtutem & nomen istud profiteor, mihi magnoperè blandiar? vbi bona, quæ egi? vbi mala, quæ passus sum? ingens abusus est, credere multum præstari, cùm nihil, aut quasi nihil, præstatur.

III. Miles ad patiendum se resoluit, id enim militiæ ratio postulat; Ciuis, vt loci more viuat, oportet enim aptare se consuetudinibus patriæ, in qua degitur. Militia huius vitæ, sine tolerantia non est, & consuetudo ciuium Mundi est bona maláque sustinere. In cælo nil nisi bonum est; in inferno nil nisi malum: Tertia, quæ his interiacet, vtriusque extremi particeps est. Iniuriáne ergo à te exigitur, vt statuas viuere more aliorum? præsertim cùm id lubenti animo faciens, & pro expiatione peccatorum tuorum, cælum quoque promerearis?

IV. Nihil absque Dei voluntate contingit, quod modo displicet, placebit aliquando. Militiæ, quò plus molestiarum

rum & vulnerum ſubitur, eò plus gloriæ accedit; manus Chirurgi dum ſecat, ingrata eſt, at vbi vulnus curauit, eandem deoſculamur; ſartor corrumpere materiam videtur, dum in partes illam diſcindit, dum ſerico infligit vulnera, & tot inciſiones, diceres rem perdi, ſed pauliſper exſpecta, & videbis veſtem inde pulcherrimam prodire. Præſtolare tu quoque tempus à Deo deſtinatum, & magnam ab omnibus afflictionibus tuis gloriam reportabis.

V. Quâ fronte quærimus huius vitæ voluptates, & delicias, poſtquam ſcimus, & seriò comprehendimus Ieſum mortuum eſſe, & noſtri cauſa mortuum? S. Eliſabetha Hungarica, auditâ mariti morte, quâ nihil funeſtiùs illi accidere potuiſſet, manus in cælum ſuſtulit, erupítque in has voces; quandoquidem mihi frater, & dilectiſſimus amicus defunctus eſt, iam mihi mundus eſſe deſijt nullę voluptates miſeræ Eliſabethæ reliquæ ſunt! dicamus & nos; ſi Ieſus mihi omnia eſt, & Pater, & Amicus, & Sponſus,

Sponsus, & vnicæ deliciæ cordis mei, & si ille pro me mortuus est, quid aliud possum, quàm seriò constantérque mundo, & omnibus illius voluptatibus valedicere? vale igitur Munde, valete voluptates, valete creaturæ omnes, quandoquidem Iesus meus mortuus est, & quidem amore mei mortuus est!

VI. Quisque cor suum vbi voluerit, defigat, ego meum ad pedes Crucifixi affigere volo, neque patiar inde auelli animum, & cogitationes meas. Et an non iure meritissimo? cùm antequam essem, & quàm mereri possem, Iesus in monte Caluariæ mei meminisse voluerit, tantáque attentione & amore diuinissimam suam mentem mihi applicuit, quasi præter me nullus in rerum natura extitisset, pro quo pati, & sanguinis sui meritum accommodare debuisset.

Hora quietis tum Officij seu Orationis vocalis Visitationis Venerab. Sacramenti, & præparationis ad seq. Meditationem.

§ III.

III. MEDITATIO.

De Patientia Filij Dei, tempore Passionis.

Oratio præparatoria ſolita.

I. P*Raludium.* Propone animo Iobum in ſimeto ſuo ſedentem, miraculum iſtud Patientiæ in ferendis contumelijs, iniurijs, & doloribus atrociſſimis.

II. *Pralud.* Pete à Deo, vt tibi clare manifeſtet Patientiam Filij ſui, cuius ſolùm figura Iobus fuit.

I. *Punctum.* Conſidera Patientiam Ieſu in ſufferendis contumelijs. Prima, abnegari à Petro, 2. à Iuda prodi, 3. Vendi triginta argenteis. 4. à cæteris Apoſtolis deſeri. 5. Cædi alapâ. 6. Poſtponi homicidæ & latroni Barrabæ 7. Sine cauſa damnari ad mortem, & mortem Crucis, nudum, & inter duos latrones medium. O Pater æterne, reſpice in faciem patientis Filij tui, & quandoquidē haſce contumelias tolerat propter peccatores, & me, qui illorū præcipuus ſum, ignoſce illis, & mihi in gratiam eorum, quæ pro nobis Filius tuus ſuſtinuit.

II.

II. *Punctum.* Considera patientiam Filij Dei in tolerandis iniurijs, & calumnijs, quibus impetebatur. 1. Caiphas Pontifex illum publicè blasphemum nominat, quòd se esse Filium Dei dixisset. 2. Milites totâ eâ nocte, quâ apud Caiphã fuit, non omiserunt antiquas illi iniurias recantare, vocando Samaritanũ, Dæmoniacũ, Voracem, Potatorem, Publicanorum amicum, Seditiosum, Magum, & his similia. 3. Quando fuit Cruci affixus, tota illa innumera & pręsentium hominum turba irridebat illum, & mille iniurijs proscindebat. Tibi gratias, ô dulcissime Iesu, quòd patientiâ admirabili toleraueris abominãdas hasce iniurias, & per eandẽ rogo te supplex, vt similem mihi, dũ occasio exiget, largiri digneris, quin etiam ignoscas sceleribus meis, quę causa fuerunt omniũ istarum iniuriarũ.

III. *Punctum.* Considera Patientiam Filij Dei in suis doloribus, & tormentis. Primò, quando spuebatur in faciem illius. 2. Quando atrociter velabantur oculi. 3. Quando genæ alapis cæde-

bantur 4. Quando barba & capilli euellebantur. 5. Quando pugnis calcibúsque impetebatur. 6. Quando flagellabatur sexies mille verberibus. 7. Quando coronabatur spinis. 8 Quando Crucem suam gestabat. 9 Quando Cruci affixus fuit. 10. Quando illic tribus horis viuus pependit. Admiratio. Detestatio impatientiæ nostræ, & Confusio, quòd in ferendis exiguis doloribus tam sim delicatus, & tener.

Colloquium ad Angelos huius tantæ Patientiæ spectatores, vt aliquem doloris sui & commiserationis sensum nobiscum communicent. Deinde ad animam nostram, vt se resoluat ad tria illa malorum genera generoso animo cum IESV toleranda.

Recollectio. Lectio Thomæ de Kempis. Rosarium. Visitatio Venerab. Sacramenti. Cœna. Recreatio. Litaniæ Sanctorum. Visitatio Venerab. Sacramenti. Præparatio crastinæ Meditationis. Examen conscientiæ. Quies, ad quam te componens digito exprime in fronte nomen Iesu. Iuuat subinde facere, quod Dei seruis est in vsu.

OCTA-

Cœlum & Terra clamat, Domine, ut amem Te. VIII Aug.



OCTAVVS DIES.

De Amore, quem Deo debemus.

QVandoquidem, Hagiophila, iam anima tua, vti oportuit, à morbis ſuis ſpiritualibus purgata ſit, ac deinde diuinis luminibus, quæ ex vita virtutibúſque Saluatoris emicant, illuſtrata, id vnicum deeſt, vt te Deo vnias, quòd hoc duobúſque ſequentibus diebus, modò in dies decem ſolitudinem tuam protrahas, cum eiuſdem gratia factura es. Vt verò facias feliciſſimè, nihil, meo iudicio, aptius eſt Amore diuino Conformatione ſuæ voluntatis cum Dei beneplacito, & deuotione erga Auguſtiſſimum Sacramentum. Per iſta te deducam ad vitam vnitiuam, initio ab Amore facto.

Viſitatio Venerabilis Sacramenti, & præparatio ad meditandum.

.I. MEDITATIO.

De Motiuis ad amandum Deum.

Oratio præparatoria consueta.

I. P*Ræludium.* Imaginare Parentem aliquem, qui omnia media adhibet, vt affectum Filij sui sibi deuinciat; rogat illum, blanditur, beneficijs obligat, hæreditatem adpromittit, nihil denique negligit, vt ametur. An non naturam omnem exuisset Filius, si tam benignum Patrem non amaret?

II. *Prælud.* Pete à Deo gratiam, vt benè agnoscas excessum Amoris illius, quo erga te vsus est, vt iste erga filium suum Parens.

1. *Punctum.* Deus excepto, quòd violentiam nullam adhibuerit libero arbitrio, fecit, quidquid potuit, vt ab homine amaretur; omnia, vt hoc assequeretur, tentauit. Primò, creatum è nihilo conseruat, & momentis omnibus prorogat illi vitam, quod perinde est, atque si noua continuò creatione illum restauraret, sine quâ in nihilum suum resor-

ſorberetur. Et quò hæc, niſi vt otium ſit illum amandi: neque tantùm conſeruat, ſed conſeruat cum ſollicitudine & amore, veluti pupillam oculi ſui, velut oculos ſuos: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei: imò huic officio impendit Angelos, Aulæ ſuæ Principis, noſtrum viliſſimus habet aliquem ex ijs Principibus continuò ſibi aſſiſtentem, & aduigilantem noctu diúque, per triginta, per ſaxaginta annos, quamdiu vita prorogatur. Secundò, homini præcipit, vt amet, præceptúmque illud minis mortis, & mortis æternæ ſtabilit; adeò vt omnis generis mala indicat, ſi non amet. Tertiò, illum rogat, & cor illius poſtulat, nimirum ad amorem: *Fili, præbe mihi cor tuum*; & aſſeuerat iſthîc eſſe delitias ſuas: *Delitiæ meæ eſſe cum filijs hominum.* Quartò, innumeris illum beneficijs ſollicitat ad Amorem ſuum; iſtis tot recreationibus, tot pulcherrimis obiectis, iſtâ corporis valetudine, iſtâ Amicorum turbâ, & poſt hæc, præparatione gloriæ interminabilis; modò

tantùm ametur. Anima mea, non ista satis potentia sunt incitamenta, vt te dones tam amanti Deo, vtque deseras omnem amorem earum creaturarum, quæ te abstrahere possent ab hoc vnicè amabili? si non sum rupes durissima, quin te deinceps amem, ô omnium amabilium amabilissime! Protestatio. Feruor. Confusio quòd tam serò.

II. *Punctum.* Magna mihi Deus peculiariter contulit, vt me ad amorem suum pelliceret. *Fecit mihi magna, qui potens est.* Primò, voluit me esse familiæ honestæ, & piæ. Ah, quid si ortum duxissem in Turcia, aut ex Parentibus impijs, qui nullam educationis bonæ curam habuissent! Secundò, dedit mihi corpus integerrimum, in quo anima se idoneam experitur ad illum cognoscendum, & amandum; cùm tot alij naturæ infortunio priuentur eâ felicitate. Tertiò, non sum extinctus in vtero, aut priùs, ratione quàm vterer. Vitam mihi & tempus, quo illum amare possem, impertijt; vbi tot alij prius interrierunt, quàm

quàm fungi possent istis officijs. O Deus omni amore dignissime, vellem te amare mille millibus cordium si tot haberem! quæ igitur foret impudentia, si istud vnicum & miserum, quod habeo, non totum integrúmque impenderem, & consecrarem amori tuo?

III. *Punctum* Deus mihi demonstrauit singularia quædam Amoris & Beneuolentiæ argumenta, quæ non alijs; aut in modo, aut in circumstantijs, aut intuitu meorum meritorum. Quisque nouit, in quo peculiariter sit Deo obstrictus. Tu tua nunc expende, anima mea; ingentem numerum habes particularium beneficiorum, vocationis, discriminum superatorum, misericordiarum post tam grauia & toties repetita delicta, & aliorum innumerorum. O Deus amoris! non fallo me, si me fateor inter omnes creaturas esse obligatissimum ad amandum te. Dignus sum tot infernis, quot stellæ in cælo micant, si non permitto, vt totum cor meum tibi dedicatum sit, & vt nullius alterius rei amore tangatur, quàm tui, aut propter te.

Colloquium ad tres Personas Augustissimæ Trinitatis, agendo singulatim gratias de beneficijs & fauoribus, quibus animam meam affecerunt, vt eam ad amandum inuitarent. Pater. Aue.

Recollectio. Diurnæ tesseræ electio, fortassis hæc prolixior videbitur:

Felix diuinus est Amor, felix Amoris vulnus est.
Sed multum est felicior, qui semper illo læsus est.

Illa breuior ex Augustino desumpta: *Serò te amaui, pulchritudo tam antiqua, tam noua, serò te amaui.* Aut alia eiusdem: *Cælum & terra clamat, Domine, vt amem te.*

Sequitur aliqua pars Officij, aut Oratio vocalis, Deinde Sacrum, Tum Lectio vel hæc, vel alia,

DISSERTATIO MATVTINA.

De cura rerum minimarum.

AMor diuinus, Hagiophila, quem exercere tantoperè desideras, non tantùm magna molitur, sed etiam ad res minimas sese demittit. Quare in harum commendationem hodie mihi tecum differendum est. Et imprimis affirmo, eas maiori æstimatione dignas esse, quà passim

passim putetur, siue illas intuearis, vt à Deo, à natura, & ab arte industriaque hominum procedunt; siue vt in se sunt, consideres. Quid minus est capillo? & tamen nullus omnino est, quem Deus in numerato non habeat, & cuius non gerat curam peculiarem. Quid vilius Corui pullo, qui ouo exclusus deseritur à parentibus, & ingratâ crocitatione victûs subsidium implorat? & nihilominùs se Deus illi impendit, cibumque præparat: *qui dat escam pullis coruorum, inuocantibus eum.* Nunquam Deus dedignatus est manum rebus etiam minimis applicare, imo in templo Salomonico, vsque ad ipsa emunctoriâ, prouidere voluit. Natura sui auctoris æmula, minùs non facit; & vt magnis præclarisque operibus producendis studiosè incumbat, minima tamen in manibus nostris lineamenta ductusque non negligit. Ipse Plinius asserit illam magis in minutis istis reculis, & in muscis, cæterisque paruis animantibus formandis, quàm maioribus occupari: *Rerum*

natura nunquam magis quàm in minimis tota est. Homines verò, qui naturam industriâ suâ æmulantur, semper videmus maiorem operam minoribus, quàm magnis opificijs applicare. Horologiopœus impensiore studio conabitur horologium gemmæ annulari includere, quàm vasto aliquo adornare domum Ciuicam; & Pictor tanti facit modicum vmbræ ductum, quanti reliquam perspicuorum colorum inductionem. Mos iste omnium vsu sæculorum confirmatus est, vt apud peritos arbitros res paruæ magnarum pretia & æstimationem, aut vicerint, aut æquarint. Exigua res est bombyx, apis modica, & tamen meritò magni fiunt, cùm ille ad aularum magnificentiam plurimùm conferat, & hæc conuiuijs præbeat suauitatem, ceráque Dei viuentis aras illustret. Altiùs hæc perpendamus, & dicamus, res minutas, quæ in diuino obsequio & studio perfectionis occurrunt, paruipendendas non esse, sed rerum maximarum, grauissimarúmque loco habendas exa-

ctam

ctam diligentiam, curámque singularem ijs adhibendo, quasi ab illis tota nostra felicitas dependeret. Via regia, & moris diuini, & naturæ, & humanæ industriæ in suis operibus, satis nos docent, quâ ratione, ad eorum exemplum, in virtutum exercitio, & profectu animarum nostrarum, procedere nos oporteat, & in magno pretio habere res minimas, quandoquidē, quæ magnæ sunt, ab his potissimum magnitudinem suam, & præstantiam sortiantur. Nescio vtrùm satis me explicem, & an rectè assequaris, quid velim nomine rerum minutarum, quas hoc loco tibi commendare proposui, quarum aliquæ generosè fugiendæ, aliæ ardenter complectendæ sunt? Ad prius genus referuntur. Primò, Paruæ & veluti nascentes tentationes, quæ procedunt ab aliquo vanitatis obiecto, ab aspectu formæ alicuius, à curiositate lectionis minùs pudicæ, & alijs similibus, quæ paulatim appetitum ad vlteriora proritant. Secundò, Leuia pericula & occasiones Deum offenden-

di, cuiusmodi sunt: alloqui sine necessitate personam sexûs differentis; ingredi, si in Religioso statu es, in cubiculum alterius sine facultate, vnde verba inutilia & silentij violatio consequuntur; Otio indulgere, ex quo periculum cogitationum immundarum, & sic de cæteris. Tertiò, Modicæ affectiones aut amoris (statim amando, quidquid gratum videtur, & sensibus nostris arridet) aut iracundiæ aduersùs aëris anniquè tempestates, aduersùs homines; aut impatientiæ, contra calamum malè aptatum contra scalpellum hebetius; aut inuidiæ, aut affectus alterius. Quartò, Exigua peccata venialia, in paruis mendacijs, in verbis otiosis, in vanis cogitationibus, atque alijs similibus defectibus. Quintò, Parui contemptus & leues transgressiones regularum, quibus nos subiecimus. Sextò, Minimæ imperfectiones, cuiuscumque conditionis eæ sint, vti, altiùs vocem attollere inter loquendum, propiùs admouere faciem, & os illi, quem alloquimur; ægrè obuios salu-

ſalutare, decentem veſtium nitorem negligere, dentibus inter comedendum ſtridere, inter bibendum circumferre oculos, ſaliuâ audientes conſpergere, & ſexcenta eius generis vitia, quæ omnia amolienda ſunt, quantumuis exigua videantur.

Alterum genus rerum minutularum, quas negligere non oportet, imò, quæ magno animo proſequendæ ſunt, eſt primò, paruæ ſenſuum mortificationes, quas S. Valerianus modicas victorias, & paruos triumphos appellat. Secundò, modicæ abnegationes noſtræ voluntatis & proprij iudicij. Tertiò, paruæ excogitatæ induſtriæ ad frænandos appetitus noſtros, benéque operandum. Quartò, faciles & leues pœnitentiæ, quæ exordia quædam ſunt, ad ſatisfaciendum peccatis noſtris, & debita purgatorij diſſoluenda. Quintò, obſeruatio regularum etiam minimarum. Sextò, Exercitatio & praxis actuum cuiuſcumque virtutis, quantumuis exigui ſint. Atque hoc eſt, quod intelligo per res

minu-

minutas, quibus toto conatu incumbendum sit, siue ad illas declinandas, siue prosequendas, prout earum feret conditio, si quis plenè se Deo tradere cupiat, & magnos in virtute facere progressus. Et, vt mentem meam tibi declarem, existimo maiorem consistere sapientiam in cura rerum minimarum (quales mox proposui) quàm vulgò putetur. a *Quatuor sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientibus*, inquit Sapiens. Nimirum formica, lepusculus, locusta & stellio etsi mole minima, sapientiâ tamen maximis antestant. An non licebit mihi tantundem affirmare de præclaris illis animabus, quæ in oculis suis exiguæ, dum paruarum rerum adminiculo ad perfectionem & profectum spiritalem nituntur, esse reipsa sapientiores ijs mundi sapientibus, qui parua dedignantur, neque manum admouent, nisi rebus magnis & speciosis? Quæ potest esse maior, aut sublimior sapientia, quàm diuinam sibi beneuolen-

a *Prouerb*. 30.

lentiam conciliare? a *In minimo fidelem esse, magnum est*, ait Augustinus. Et dubitari non debet, quin Deus paruis illis victorijs magna in cælo præmia largiatur: *Quia in modico fuisti fidelis, supra multa te constituam.* Imò, nec omittit etiam in hac vita aliquam eorum prælibationem concedere, impertiendo suos ijs fauores, qui magno animo & curâ rebus modicis intendunt. Testis est S. Odo Abbas, qui loco micarum, quas studiosè iuxta Ordinis sui institutum collegerat, reperit manum vnionibus gemmisque pretiosis refertam. Id quod accidit Abbati Hellen (memorante Palladio) æquè admirandum est: b aliquo mellis comedendi appetitu tenebatur, aderatque opportunitas oblato mellis alueolo; sed potiùs, quàm vt illud gustaret, frænum mortificationis arripuit, iussitque facessere improbam cupiditatem, & ne contactu quidem mel libauit. Aliàs, posteaquàm tres se-

pti-

a *l.4. de doctr. Christ. cap. 18.*
b *Hist. Laus. cap. 59.*

ptimanas cibo pœne omni abstinuisset, reperit fructus à vento decussos, & vt sine lauticia duo triaue poma comedere potuisset, reliquit tamen intacta; tanti faciebat aliquam, in rebus etiam minimis, mortificationem. Verùm istud ita Deo placuit, vt paulò pòst, quàm has de appetitu suo victorias reportârat, Angelum illi submiserit, qui fontem indicauit, vbi tali cibo, potuque refectus est, vt fateretur se lautiores delitias nunquam degustasse. Fauores illi, quos Deus, similibus occasionibus, famulis suis elargitur, in mentem mihi reuocant id, quod de sorore Ioanna de Lino, Bononiæ Religiosâ in Monasterio S. Mathiæ, memoriæ proditum est: Hæc adhuc ætate iunior statuit sæculum deserere, inque istud Monasterium ingredi, quod in somnis videre sibi visa fuisset B. Virginem (cuius imago imminebat gradibus, per quos ad Cubile sororum ascendebatur) tot rosas sinu suo excipere, quot reuerentiæ & inclinationes corporis, à sororibus ascendentibus,

aut

aut descendentibus, exhibebantur. Diuinum illud somnium effecit, vt & proposito suo quamprimùm satisfaceret, & magnis suis actionibus, multas minutas admisceret, quas videbat à Deo tam benignè liberaliterque compensari. Quando animum aduerto ad diuinam bonitatem, quæ tantoperè minutulis illis actionibus, mortificationibusque suorum fidelium amantium delectatur, videre mihi videor Parentem benignissimum, qui lubenter à manu filioli sui pomum pyrumue accipit, ac deinde veluti magno aliquo munere deuinctus, illius manui inserit aureum nummum, aut clauem arcæ, vt pro libitu suo saccarum, reliquaque eius generis condimenta, excipiat. Tam beneuolus Deus est, vt pari ratione nobiscum agat, & vt parùm illi offeramus, centuplo compensat, aut per gratias actuales, aut per sensibilia solatia, aut per nouas vires, aut aliter. Gaudium, quo afficitur, dum videt nos sibi intendere, & minimis istis actionibus præbere spem maiorum, pro

ſua gloria & amore, ſubeundorum (*qui fidelis eſt in minimo, & in maiori fidelis eſt*) efficit, vt minimas illas habeat gratiſſimas acceptiſſimaſque.

Hanc exactam diligentiam magnum opus eſſe ſapientiæ, mediumque excellens, ad inſinuandum ſe penitiùs in Dei amicitiam, neceſſe eſt; quandoquidem animaduerto hoſtem humani generis quadam affici voluptate, & diligenter annotare, ſi ea negligatur S. Gertrudis inter nendum, quodam die, lanæ flocculos in terram abijciebat, cæterà magnâ puritate intentionis Deo conſecrabat laborem ſuum: crederes, viſum ab illa Dæmonem colligentem eos flocculos, veluti totidē argumenta neglectæ paupertatis? & quale iſtud eſt quod cuidam, in Monaſterio Gignacenſi, Religioſo accidit? permiſerat ille inter cibi ſumptionem micas delabi in terram, eaſque perire contra Ordinis Regulam: adfuit morituro Diabolus viſibili ſpecie, ſaccumque micis refertum illi oſtendit, vt redderet anxium, & ſpem ſalutis eriperet,

ret, neque terrere destitit, donec feruentibus aliorum Religiosorum precibus, abactus est. Adhuc hoc loco (in gratiam eorum, qui, sine facultate de rebus paruis liberè disponunt) memorandus est insignis ille pauor, quo afflicta fuit quædam Religiosa cuius meminit S. Odo Cluniacensis: eum morte colluctanti exprobrauit Dæmon, quòd sine superiorum licentia acum abstulisset, eam illa subitò adferri voluit, iussitque loco suo restitui; sed cùm nihilominùs Dæmon persisteret (quòd illam vehementiùs terrebat) occurrit, esse etiam sine facultate pauxillum serici in capsula; quod vbi redditum est superiori, tandem hostis disparuit. Ex hisce discimus non tantùm Dæmonem delectari hac nostra in rebus minimis negligentiâ, verùm etiam, quàm accuratam Deus à nobis exacturus sit, Oeconomiæ spiritualis rationem. Dixi, Oeconomiæ spiritualis, quia ingentis sapientiæ est, per res modicas, quarum negotiatio, quàm credi possit, vtilior est, magnum

lucrum

lucrum quæstumque facere. Interrogatus aliquando Lampis sapiens & opulentus Mercator, quo pacto tantas diuitias accumulasset? respondit: parua lucra magnifaciendo, & magna non paruipendendo. Asseuerare possum, idē in amplificatione opum spiritalium vsuuenire: facilè enim eæ augentur, quando nulla, ne minima quidem occasio quæstûs faciendi præteritur: *quemadmodum opes corporis accumulantur, cùm amatores illarum, ne minimum quidem lucellum negligunt, sic spirituales diuitiæ*, ait more suo, eleganter Chrysostomus. Aduertimus præterea, bonos vitæ spiritalis curatores similes esse magnis fluminibus, quæ alueum suum non implent, neque exonerant se in campos adiacentes, nisi per accumulationem minimarum, sed prope innumerarum guttarum ex alto depluentium: aut imitari aurifabros, qui Aurum limantes maximo studio, solertiáque limaturam omnem, tenuissimosque auri pulnisculos colligunt, cùm certi sint, etiam minu-

minutiarum illarum pretium non esse contemnendum. Diceres Seruatorem, hanc nobis curam inculcare voluisse, quando nos in persona Apostolorum monuit: *Colligite fragmenta ne pereant.* Ita prorsus faciunt egregij, & feruentes Dei ministri: nihil paruipendunt, quantumuis paruum videatur; & incredibili affluunt voluptate, quoties emolumenti inde prouenientis & gloriæ aliquando capiendæ meminerunt. *a* Iucundum est audire reflexiones, quas in rem præsentem circa ceremonias, in officio diuino exhiberi solitas, faciebat beata Ioanna de sancta Catharina: quid foret, si cæterarum quoque rerum minutarum, quibus nunquam deerat, animaduersiones adnotasset? Ad hunc modum loquitur: aliquando animi gratia, & vt me stimularem ad quæstum ex omnibus, præsertim ex tempore, quo nihil pretiosius est, colligendum, numeraui nos, per annum in offi-

cio

a *Ex vita eius apud Ioan: à sancta Maria.*

cio diuino, facere quinquaginta millia ducentas profundiores corporis inclinationes, nouendecim millia, quadringentas, octoginta minores, quæ vnà sexaginta nouem millia, sexcentos & octoginta actus Religionis, virtutis scilicet post Theologicas præstantissimæ, conficiunt. Præthereà, nos iterare duodecies millies quadringenties, sanctissimam potentissimamque Orationem Dominicam *Pater noster*, millies quingenties *Salue Regina*, & plus quadragies millies *Gloria Patri*: obsecro te, cui rei mentem applicabat religiosa illa anima, & lucro spirituali intenta? enimuerò deberemus nos similibus reflexionibus animum occupare, vt vel inde agnosceremus, quanti lucri, spatio anni vnius, & spatio decem annorum, iacturam faciamus; propterea quòd minutas virtutum actiones, & exiguas mortificationes nostrorum appetituum negligamus Tu cogita Hagiophila, & tandem constanti animi proposito decerne, exactam adhibere curam

curam rebus minimis, quas Deo gratas, vocationi tuæ consentaneas, & spirituali tuæ necessitati proficuas esse cognoscis. *Minimum pro magno placeat tibi:* a Dictum hoc ore sapientis prolatum tibi offero, vt cum affectu, & animi voluptate, minimis exercitandis incumbas. Nihil tibi facilius est, sed neque gloriosius: adeo vt eximius ille vir Ludouicus Blosius asseueret, magis Deo placere, vt vim aliquam inferamus nostris propensionibus, nostræ sensualitati, & appetitibus, quàm si plures ad vitam mortuos reuocaremus. *Minimum pro magno placeat tibi.* Nihil ages, quod priùs sancti non fecerint: in vita S. Ignatij legitur, eum tanta contentione animi, rebus etiam minimis incubuisse, vt in ipsa fronte oculisque ardor emicaret. B. Aloysius Gonzaga tam exactus in silentio fuit, vt illud nunquam ruperit, tam sollicitus, ne quid sine superiorum licentia faceret, vt ne folium quidem chartę, Condiscipulo dare voluerit, quin

T priùs

a *Eccles. 29. 30.* b *Inst. Spirit. c. 2.*

priùs facultatem obtinuisset. P. Balthasar Aluarez, quo nullus teste B. Teresia, eo tempore sanctiùs perfectiúsque viuebat, extra tempus mensæ nunquam bibebat, nunquam schedulam sine venia aut legebat, aut scriptitabat. P. Thomas Sanchez incomparabilis in cura, obseruationéque rerum minimarum, nunquam aut florem, aut fructum, aut folium in horto decerpsit, & parem in cæteris omnibus mortificationem vsurpauit, & verò propositum illi erat, ex rebus omnibus instar mercatoris industrij, quæstum facere. Verba illius sunt in paruo Codice manuscripto reperta: *Vita mea quotidiana, atque vniuersa, similis esse debet negotiationi spirituali, nec non mercatori cupido, & ad omne lucrum intento.* Ad eum modum, Hagiophila, loquere, viue, & age. Ille est ad perfectionem via.

Si non sufficit hæc lectio. Lege cap. 8. 9. & 11. Tract. 3. Part. 1. Rodericij. Aut c. 31. & 32. lib. 3. de Imitatione.

Post lectionem renoua tuam, erga sanctos tuos,

suos Patronos, deuotionem, & vide quid facere deinceps in eorum honorem velis, vt propitios experiare. In Confœderatione mea dixi capite septimo, quidquid exhiberi ijs debet.

Sequitur præparatio Meditationis.

II. MEDITATIO.

De Conditionibus veri Amoris Dei.

Oratio præparatoria consueta.

PRælud. I. Propone tibi illud, quod dicit sacer textus de Reginâ Esther: illam fuisse principiò paruulum fontem, qui deinde creuit in fluuium maximum, ex quo fluuio ignis, & ex igne sol ortus sit, denique ex sole inundatio aquarum in terras depluentium.

II. *Prælud.* Pete à Deo gratiam cognoscendi prodigia omnia, quæ fiunt in anima Deum amante; & vt ista quinque memorata sint in te.

I. *Punctum.* Pauxillum Amoris diuini, modicum huius riuuli & fontis, de quo dictum est: *fons aquæ salientis in vitam æternam*, maioris pretij est, quàm omnes totius terræ thesauri, quàm om-

nes huius vitæ voluptates; quàm vniuersi mundi honores. Pauper, & miserrimè pauper est ille, qui non saltem pauxillum habet huius amoris diuini, sed amoris veri sincerique. Modicum & bonum sufficit ad cælum obtinendum, & salutem consequendam. Anima mea, aliquidne tibi est huius modici & boni? multum vereor; at ex sequentibus conditionibus statum tuum collige.

II. *Punctum.* Verus Dei Amor semper it promouendo, crescendo & se dilatando ad modum fluuij. Vide an non hæc fuerit semita sanctorum. Ipse IESVS eam rationem tenuit, vt eius Amor semper augeri videretur. Factus est homo, infans, mendicans, obediens, laborans, prædicans, patiens, se in cibum porrigens, moriens: quò longius viuendo it, hoc maiora sui in nos Amoris declarat argumenta. Hoc proprium est vero Amori & diuino. Amor Creaturarum (cùm sincerus non sit) alia ratione procedit, nam quò res amata melius agnoscitur, quò vsus illius est frequen-

quentior, eò magis Amor minuitur: non ſatisfit animo, prima ſpecie quis deceptum ſe videt. Vah Creaturas! vah me! non illudor amplius.

III. *Punctum.* Amor debet eſſe Ardens, feruens omninóque igneus, hoc eſt igni ſimillimus: expendas effectus ignis: conſumit omnia, lignum, paleas, plumbum, metalla & quidquid denique inijcitur. Eodem pacto vrit diuinus Amor, abſumit & annihilat omnes noſtras imperfectiones. Ex numero imperfectionum tuarum arbitrari potes: quantus ſit Amor tuus. Cor illud puriſſimum eſt, & à vitijs omnibus purgatiſſimum, quod ardet diuino Amore, & feruet in exercitio actionum ſuarum. Quod ſi ita eſt; quantillum erit in me diuini Amoris, qui omnia perago ſine feruore, cum ignauia & tepiditate? fuerit id hactenus, impoſterùm ardebunt feruebuntque omnia, Amen.

IV. *Punctum.* Verus Amor eſt Illuſtrans, radians & coruſcans ſolis inſtar. Qui ſolem aſpicit, illius lumine illuſtra-

tur, & incalescit, inuitaturque ad laudem Conditoris: qui videt verum Dei amatorem, ex omnibus illius actionibus fructum capit, acceditturque ad imitationem, & ad laudes Deo reddendas, quòd talem Creaturam, istaque optimorum exemplorum lumina, mundo indulgeat. Denique nihil mundus habet sole pulchrius, nihil speciosius Dei Amore. Hoc amore, hoc *sole* da operam, vt anima tua *amicitiatur*.

V. *Punctum.* Verus Dei Amor adfert nobis maximam affluentiam, & quasi inundationem cælestium benedictionum, cuiusmodi sunt virtutes, desiderium tuæ perfectionis, & gloriæ diuinæ amplificandæ. Vide an ista habeas. Desiderium. Propositum.

Colloquium ad animam suam. Proponendo illi incitamenta, quæ habet ad amandum Deum, & emolumenta quæ inde ei accident. Anima mea! cùm negari ista non possint: faciamus, quod fieri necesse est, & faciamus, quàm primùm, quàm optimè, quàm libentissimè.

mè. Aut amandum est, aut pereundum; nihil hîc medium intercedit. Magne Deus! omnino rapitur anima mea in amorem tuum; hic fructus est solitudinis meæ, vt tota tua sit, non amplius mea, vt dicere semper possim tam corde, quàm lingua: viuat Iesus, & eius Amor. Pater, Aue.

Recollectio. Visitatio Venerabilis Sacramenti. Examen conscientiæ. Prandium. Recreatio. Tempus scribendi: si aliud non occurrat, enumera beneficia particularia tibi à Deo collata, vt de ijs quotidie in Examine illi gratias referas.

Deinde aggredere lectionem spiritualem.

DISSERTATIO POMERIDIANA.

De felicitate vocationis Religiosæ.

ANimus mihi dictat, Hagiophila, te Dei domesticam esse, & in secessu sanctæ Religionis alicuius commorari: vnde rapit me desiderium disserendi tecum de ea, qua frueris, felicitate, vt illam seriò agnoscens, validiùs inciteris, ad eum toto affectu complectendum,

qui huc te aduocare dignatus est, téque voluit suo peculiariter obsequio mancipari. Et rectè quidem dixi, illam esse felicitatẽ: verùm, vt assequaris, quid de illa animo concipiam, eius mihi adiuncta enucleanda sunt. Atque vtinam exprimere verbis possem sensa mea, & æstimationem illam, quæ iam pridem mihi insedit! non propterea tamen, quòd id arduum videam, à proposito meo discedo, cùm ex modico illo, quod dicturus sum, iudicari facile possit, quousque excurrere queat calamus instructior, & maius acumẽ ingenij otio abundantis.

Primum Encomium, quod felicitati Religiosę vocationis attribuo, est, quòd sit felicitas & beatitudo huius vitæ maxima, sit incomparabilis, sit gloriosissima, sit maximè eximia. Alibi, quàm in domo Religiosa, melior habitatio, & sors fortunatior esse non potest: plurimi Principes & Reges, multi Orbis moderatores, sexûs & huius & illius, dignitates suas & delitias contempsêre, vt alicuius Ordinis habitu induerentur. Bea-

ta Ioa-

ta Ioanna Princeps Lusitaniæ ita flexit Superos precum suarum assiduitate, & Regem fratrem lacrymis mouit, vt tandem velum monasticum obtinuerit, pro Corona Galliæ, vel Angliæ, quæ per matrimonium, cum Monarchis illis contrahendum, præsentabatur. B. Zedmira filia Regis Æthiopiæ, cùm à parente ad nuptias vrgeretur, noctu sola se proripuit, & superato ingenti flumine (quod aquis vtrimque suspensis discesserat, vt siccum fugienti præberet iter, arcerétque, qui illam persequebantur) felicissimè inijt Parthenonem Ordinis S. Dominici, vt frueretur bono tam optato, quódq; illa omnibus mundanis honoribus anteponebat. a Magnus ille Dei seruus Franciscus Cordubensis, ex Magnate Hispaniæ oriundus, tam altè veritatem hanc animo suo impresserat, vt cùm aliquando in familiari sermone mentio vocationis incidisset, asseruerit, in conditione sua, se Regibus ipsis esse feliciorem, & paratum iuramento contestari,

a *Ex Ioanne à S. Maria in Vit. SS. Ord.*

quòd nollet vestem suam Iesuiticam, neque cum purpura Cardinalium, neque cum Pontificis tiara commutare. Omnium rectè sentientium fuit hæc communis & constans opinio. Quàm volupè erat audire celebrem illum Ordinis nostri Scriptorem, P. Petrum Ribadineiram, quoties in laudem suæ vocationis excurrebat! Quantoperè, aiebat, diuinæ bonitati obstrictus sum, quòd me à Mundi abstractum periculis, in sanctam domum suam admiserit, idq; maturè, anno ætatis decimo quarto, priusquàm innocentiæ terminos excessissem: post Deum, potissimā obligationis partem debeo S. Ignatio, qui mihi adfuit, & veluti manu in gloriosum hunc secessum duxit; & tanti facio huius magnitudinem beneficij, vt nunquam futurus sim ingratus; optarem ex animo, mihi occasionem offerri, vt in testificationem amoris in illum mei, membratim in frusta dissecarer: non detrectarem. Ad cumulū meæ felicitatis hoc vnicum requirebatur, vt ab ipso statim vitæ exordio

ordio in hunc ordinem ingrederer: quod si accidisset, feliciorem me crederem omnibus totius vniuersi creaturis. Alius è Societate nostra vir eximius, minorem, hac in re gratiam non habebat: fuit is P. Ioannes Baptista Mauiado Lusitanus, qui in Iaponia Martyrio affectus est; quando ille nuntium mortis pro Christo subeundæ accepit: Laudetur Deus, inquit, lubens morior, tres in vita mea dies bonos habui, quos mille Mundis præfero: primus est ille, quo Religionem inij; secundus, quo in carcerem Christi causa coniectus sum; tertius hic est, quando pro illius amore vitam & sanguinem profundere debeo: hi tres dies mei boni sunt, hæc tria nuntia felicia: ipsi Angeli cum suis Legationibus faustiora nuntiare non possent, & si vellent inter mortales viuere, nullus dubito, quin vellent Religiosi, Captiui, & Christi Martyres esse. Verùm arbitraveris, Hagiophila, hanc tantùm esse opinionem eorum, qui Religioso statui adscripti, illum cæteris omnibus ante-

ponunt. Ignoſce, communis ſenſus eſt etiam mundanorum: fatentur omnes, quando agnoſcunt, quid ſit cælum, & finis, propter quem conditi ſumus, nullos eſſe quàm Religioſos, beatiores; & quamuis ſubire ipſi detrectent, illorum tamen felicitatem pro merito deprædicare non omittunt. Præclara fuit reſponſio nobilis Matronæ, quæ abhinc viginti quinque annis præſens adfuerat primitijs filij ſui; gratulabantur illi id ſolatium, quòd acceperat ab huius ſacri auditione; & animi voluptatem, quòd eundem filium ſuum apud nos Religioſum videret: profectò, inquit, meritò mihi gratulamini: tam enim iudico me fortunatam ex eo, quòd hic ſit illius ſancti Ordinis Religioſus vnà cum fratre altero; vt longè gratius mihi accidat, eos ambos eſſe Ieſuitas, quàm ſi alter foret Galliæ Cancellarius, alter ſupremus armorum Præfectus. Sanè, ſi loqui mihi fas eſt, poſt Chriſtianam illam Amazonem, dicam liberè, nullam mihi videri gratiam à Deo maiorem conferri homi-

nibus

nibus poſſe, hoc præſertim ſæculo tam peruerſo, corruptóque, quàm ſi eoſdem vocet ad obſequium ſuum in bonam aliquam Religionem, eóſque Mundo educat, Mundo, tantis animæ corporiſque periculis, infami. Qualiſcumque conditio illic ſit & fortuna, Religioſorum tamen eſt melior, & ſine comparatione excellentior. Non quòd omnia iucunda in Religione ſint, nullæque cruces reperiantur (ſine his enim non ducitur vita mortalis) ſed quòd cruces hæ dulciores ſint, faciliúſque portentur, quàm mundanorum; Religioſorum cruces gratæ ſunt, & ſpontaneæ, plerúmque ob Deum ſuſceptæ; ſæcularium verò moleſtæ & ſæpe intolerabiles ob conſcientiæ, quâ torquentur, remorſum; deinde vt ait S. Bernardus, illi ſi crucibus abundant, affluunt etiam conſolationibus. Sed ea mali origo eſt, quòd ſæculares ignari horum ſolatiorum, credant Religioſorum cruces, grauitate & moleſtiâ ſuis non cedere. Aduertunt aliquam Dei ancillam Monaſtarij clauſtro contineri,

ſed non cogitant eandem ex hoc Amoris carcere euagari, quoties lubet, per considerationem cęleſtium gaudiorum, quæ expectat, vti de ſua teſtatur Bleſilla Hieronymus: *Bleſilla vnius incluſa cellulæ anguſtijs, totâ cæli latitudine fruebatur.* Notabunt vitam Religioſam quotidianum eſſe Martyrium, vt loquitur Hilarius Arelatenſis, aut Purgatorium continuum ab aſſiduis mortificationibus, quas ſuis inculcat, ſed non reputant, Mundum, vitámque mundanam infernum eſſe, ſi Religio purgatorium eſt. Quam aduerſionem Nepoti ſuo in Societatem noſtram ingreſſuro ſuggeſſit Venerabilis P. Cæſar de Buz: Chare Nepos, inquit, quoties in cælum, ſtellas & ſolem, oculos intendes; memineris ſedis beatorum, cuius imaginem præferunt; quoties Mundum intueberis, recordare damnatorum: horum enim Idæa eſt; & quoties ſtatum Religioſum conſiderabis, propone tibi Purgatorium: Cruces enim illic reperies, ſed quæ leues ſint, & cum certa cæli obtinendi fiducia, quâ

Mun-

Mundus caret. Experiere quidem paruum aliquem dæmunculum, qui te diuexabit, hoc eſt, paſſionem aliquam importunam, ſed longè mitiùs tecum agetur, quàm in Mundo, vbi dæmones immoderatarum & violentarum affectionum cupiditatúmque, per omnem vitam miſerum ſæcularem exercent, ita vt penes ſe continuò infernum circumferre videatur. Sed prætereamus hanc magni viri conſiderationem, vt iſta fruamur, quam B. Ægidius S. Franciſci Comes nobis prodidit, quæque opportuniſſima eſt, ad vitæ Religioſæ beatitatem oculis ſubijciendam. Ponamus igitur Mundum tàm malignum non eſſe, atque illum deſcripſi, neque eſſe infernum, imò procul inde abeſſe: nihilominùs certiſſimum eſt, præſtare aliquam in Religione gratiam habere, quàm multam in ſæculo, ex opinione ſancti illius viri; & ratio illius eſt, quòd hîc pericula ſint magna, & ſubſidia ſpiritalia non ſint tam frequentia, nec æquè valida atque in Religione, Inter mundanos viuenti,

uenti, dici poteſt illud Sapientis: *Agnoſce, quod in medio laqueorum tranſis*; illi verò, qui inter Religioſos degit, vt felicitatem ſuam agnoſcat, ſufficit præclaram D. Bernardi ſententiam in mentem reuocare: *Nonne hæc eſt Regio ſancta & immaculata, in qua homo viuit puriùs, cadit rariùs, ſurgit velociùs, incedit cautiùs, irroratur frequentiùs, quieſcit ſecuriùs, moritur confidentiùs, purgatur citiùs, præmiatur copioſiùs?* Deus bone! quid locupletius, quid præſtantius homini Religioſo dici potuiſſet? an non deceret, quemque illorum, ante oculos, perpetuò habere magnis characteribus expreſſum, hoc verum æquè atque admirandum Religioſæ vitæ encomium? vt-vt ſit, certiſſimum eſt, pericula ſalutem amittendi, animámque inficiendi peccatis lethalibus, non eſſe in benè conſtitutis Religionibus, quemadmodum ſunt in vita ſæcularium. Quando contingebat, vt aliqua ſororum in riſum prorumperet, B. Mariâ Magdalenâ Vrſinâ a exiſten-

a *Ex vit. SS. Ordinis.*

existente Nouitijs Præfectâ, illa eandem & reliquas ad profusiorem risum inuitabat, dicens, magnâ animi hilaritate, quòd in domo Dei sub Regula D. Dominici viueret: Ridete, filiæ, ridete, quandoquidem eam felicitatem estis consecutæ, vt Mundum deserueritis, ab illius periculis immunes; & in Cœnobio degatis, vbi certatim omnes ad virtutem connituntur, *Non fecit taliter omni Nationi.* Iure meritissimo sic illa loquebatur, cùm animæ Deum & salutem amanti non possit offerri materia solidorum sincerorúmque gaudiorum copiosior, quam dum se occasionibus Deum offendendi liberam aduertit. An non ineffabilis ista lætitia est, vixisse decem, viginti, triginta annos in domo Religiosa, nullo admisso peccato mortali, cùm miseri sæculares omni adhibito studio diligentiáque ab illis eximere vix se possint? Etsi nullum aliud foret in Religione commodum, quàm vel vnicum mortale crimen euitare (posito, quòd non nisi vnicum in sæculo relicto admisissemus)
arbi-

arbitror tamen optimè tempus collocari, quamquam esset annorum plurium, & multis crucibus, pœnis & afflictionibus asperum. Qui nouit, quid sit Deum offendere, & quanta vel vnius mortalis peccati miseria sit, satis mentem meam comprehendit, & semper fatebitur, nullam existere in hac vita felicitatem, quæ cum gratia Religiosæ vocationis conferri possit.

Adhuc vnico laudis argumento hanc felicitatem afficiam, priusquam te desero. Proposueram quidem demonstrare omnibus, bonum Religionis esse inæstimabile, & idcirco dictum olim à S. Scholastica: si intelligerent homines, delitias & solatia, quæ Deus ijs elargitur, qui hoc pacto illi seruiunt, Mundum non suffecturum ambitu suo, vt omnes in Religione viuere volentes capiat, totumque vniuersum, vnicum fore Cœnobium; aut vt B. Magdalena de Pazzis ominabatur, vndique muri Monasteriorum admotis scalis superarentur, ad locum in ijs sumendum. *a* Hoc

a Ex Mich. Hier.

eodem instituto volebam tibi exhibere quandam Neapoli Principem, quæ Religiosarum habitum assumpsit: dum sacra vestis illi inijcitur, subijt mentem cogitatio, magnam se gratiam apud Deũ promereri, quòd tantos honores, regna & diuitias, cum vili veste commutasset; dum voluit animo istam cogitationem, aperuit illi Deus mentis oculos, apertissiméq; ostendit omnem aularum pompam, omnes Principum delitias, & quidquid in terra speciosum est, nihil esse, si cum minimis bonis & gratijs Religionis componantur; & tam clarè perspicuéque hoc ipsa agnouit, vt erubescens, quòd talem in animum cogitationem admisisset, affluere lacrymis cœperit, statuerítque diuinæ bonitati imposterùm maiores, pro incomparabili vocationis beneficio, grates referre. Volebam te per otium huic ceremoniæ præsentem assistere, sed quis modus tantillo tempore, quod mihi superest? sufficit igitur (reiectâ in aliam commoditatem huius inæstimabilis pretij probatione)

vt nunc dicam beneficium Religiosæ vocationis, esse beneficium solis Dei intimis, & apud illum gratiosis concessum, quod non leue, in gratiam Religiosorum, sed maximum laudis argumentum est, cùm ne optari quidem ab homine aliquid excellentius apud Deum possit, quàm vt intima sit illi familiaritate coniunctus, eiusque fauoribus perfruatur. Hinc aduerto in vocationibus magna fauoris indicia. Deipara visendam se præbuit B. Stanislao Kostkæ iuueni, eíque vt Filii sui Societatem ingrederetur, præcepit. B. Catharina de Raconis publicè professionem Regulæ sancti Dominici faciente, cælica vox audita est, apparuítque illi Iesus cum Matre, & reliquâ cælesti curiâ, qui præsentes vouenti adesse, actúmque cohonestare voluerunt. Vir quidam eximiæ sanctitatis audiuit aliquando, dum sacer Virgini habitus indueretur, musicam Angelorum concinentium: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, Sponsæ Virgini.* Dices, & quidem meritò, illas esse singula-

rium,

rium, atque extraordinariorum fauorum testificationes: accipe igitur aliquid commune omnibus, quod tamen gratiæ titulum meretur; videlicet Religiosos ea frui prærogatiuâ, quod in domo Dei sint, illiúsque domestici. Non solet Princeps cuiuis è famulitio, sui Palatij habitationem concedere, fauor is ad solos Nobiles & Aulicos pertinet: ad eum modum Deus facit, teste Hieronymo, a & quibus eam gratiam beneficiúmque præstat, Religiosi sunt. A quo non dissentit Bernardus illos alloquens: b *Altissima est professio vestra, cælos transit, par Angelis est: aliorum est seruire Deo, vestrum adhærere.* Sed amplius aliquid: illam habent gratiam, vt Christo cohabitent. Rogata aliquando Venerabilis Mater Maria à Iesu Fundatrix, & prima Cœnobij S. Catharinæ Tolosæ professa, cur tanti vocationem suam faceret, duas causas attulit. Prima, quòd in Religione degens, omninò Dei esset, per votum Obedientiæ, & consignationem propriæ volun-

a *Vers. 1. in Psalm. 133.*
b *Ep. ad fratr. de Mon. Dei.*

voluntatis. Altera, quòd in Religione habitaretur eadem domus, quam Iesus sub speciebus Eucharisticis incolit, vbi cum illo libeat noctu diúque conuersari, necessitates suas aperire, amantia vota prodere, tractare negotium salutis suæ, gratias agere, quòd à mille iam & sexcentis annis, veluti Amoris captiuus, includatur nostris altaribus ad solatium subsidiúmque nostrum. Sufficiunt hæc, Hagiophila, vt agnoscas excellentiam vocationis tuæ, & tibi promanantem ex ea felicitatem. In gratitudinis testimonium sæpe vestem tuam deosculare exemplo B. Mariæ de Incarnatione, quandoquidem securissimam ad salutem viam ingressa es.

Si hæc Lectio non sufficiat, aut aliena sit, eò quòd Religioni nomen non dederis, prosequere ea in Rodericio, quæ manè tibi designaui: opportunissima sunt ad inflammandum animum diuino Amore, cùm eius iudicium sit pura Intentio. Lege præcipuè caput vltimum. Si otium est, addi poterit Lectio cap. 33. & 44. libri 3. de Imitatione Christi.

Sequitur Examen virtutis, & quia magnũ

Amo-

Amoris, quo aliquis in Deum fertur, argumentum est, ingredi in Religionem, séque tribus votis obligare; idcircò hodie proposui, & Dissertationem de Vocatione, & Examen de Votis, præterquã quòd suspicer plerosque, qui hac solitudine Hagiophilæ vtentur, fore Religiosos, & ideò putaui rationi consentaneũ, illis hac occasione satisfacere, eáq. proferre, quæ propiùs ad illos spectarent; præterea etiam vtile erit, vt ij, quibus octo dierum Exercitationes sufficient, se hoc postremo die penitiùs inspiciant, quoad peculiares obligationes, quibus diuinę bonitati, ob cuius Amorem blandis hisce vinculis sese strinxerunt, sunt deuincti.

EXAMEN CIRCA TRIA VOTA.
Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ.

PRæter illa, quæ ad finem Examinis pro Confessione annuâ produxi, vbi attuli defectus, qui contra tria vota comittuntur, poterit hic meliùs agnosci perfectio, ad illorum obseruationem requisita.

Circa Paupertatem. Primò, *Læto patientiq; animo ferre defectum rei alicuius,*

quæ

quæ nobis aliquo modo necessaria videretur. Secundò, *Sese etiam rebus necessarijs indignum reputare.* Tertiò, *Curam nimiam & superfluam rerum necessariarum reijcere in diuinam prouidentiam, Deo, Patri pauperum, confidendo.* Quartò, *Res superfluas, si nobis offerantur, repudiare.* Quintò, *Erga res nostris vsibus concessas non vehementer affici, neque anxiè timere, ne nobis auferantur.* Sextò, *Non habere seposita curiosa, aut delicata, qualia essent fructus, dulciaria, & cætera eius generis, aliquo prætextu, qui nobis blandiatur.* Septimò, *Obliuisci commoditatum, quas habuimus.* Octauò, *Nullā in vestibus singularitatem desiderare.* Nonò, *Non curare res pulchras, elegantes, affabre factas & exquisitas, siue in Imaginibus, Libellis, Rosarijs, Numismatis, aliáq; supellectile.* Decimò, *Non auersari res viles siue quod tritæ sint, siue materiæ humilioris, imò cogitare, tales nobis deberi, & tum demùm nos rectè agnosci, quando sic pro merito tractamur.* Vndecimò, *Amare pauperes, ijsque libenter stipem & charitatem erogare iuxta facultatem nobis à Superio-*

periore concessam. Duodecimò, *Singulis mensibus excutere semel cubiculum suum, vt videatur, num aliquid sit superflui, & contrarium Paupertati.*

Circa Castitatem. Primò, *Non conuersari cum personis sexûs differentis ex inclinatione naturæ, quæ vbiq; se quærit, etsi sub specie boni, aut obsequij spiritualis.* Secundò, *Non contrahere amicitiam cum quibusdam, propterea quòd iuuenes, blandi, benè vestiti, & iucundi sint conuictûs.* Tertiò, *Abstrahere se à colloquijs & aspectibus, qui motus causant inordinatos, & testantur cor esse amore captum.* Quartò, *Deuitare occasiones occurrendi, videndi, aut tangendi obiecta, quæ ineptas cogitationes suggerere possent.* Quintò, *Abstinere verbis amorem testantibus, etiam inter personas paris sexûs, cùm nullum ista vsum habeant, nisi vt accendant flammam, quæ tam facilè, quàm vellemus, extingui non poterit.* Sextò, *Nunquam proferre verbum puritati contrarium, siue occulti, siue duplicis sensûs, seu tale, quod speciem minus honestam posset animo imprimere.* Septimò, *Non loqui de forma, de venustate,*

de alijs corporis dotibus, de blanda affabilitate alicuius, hæc enim cor castum emolliunt. Octauò, *Priuatim eam seruare decentiam, quasi in oculis virorum grauium essemus.*

Quoad Obedientiam. Primò, *Promptè exequi quod præcipitur, sine oblocutione, sed generosè & humiliter.* Secundò, *Obtemperare etiam naturâ repugnante.* Tertiò, *In eo qui aliquid mandat, Deum agnoscere, eiq́; tamquam Christo, obsequi.* Quartò, *Paratum esse ad obediendum in omnibus, in quibus manifestè peccatum nō apparet.* Quintò, *Obedire etiam Superioribus, qui essent vitæ flagitiosæ.* Sextò, *Dispositionem voluntatis nostræ, rerúmque aliarum ad nos spectantium integrè committere Superioribus, & accipere velut à manu Dei, quidquid de nobis constituerit.* Septimò, *Ad minimum Superioris nutum obedire.* Octauò, *Et in ijs libentius, quæ difficiliora abiectioraq́; videbuntur.* Nonò, *Obedire cæcè nullâ mandati ratione inquisitâ, subiectóq́; iudicio proprio, iudicio Superioris.* Decimò, *Apud animum suum*

&

& contra quoscumque tueri, quidquid fuerit de alijs, aut nobis ordinatum.

Tempus Officij, vel Precum vocalium. Deinde huius Considerationis.

CONSIDERATIO.

I. IN negotijs Mundi cura est diuturnior, labor operosior, fructus minor, & consecutio eius, quod intenditur, difficilior. In Dei seruitio, & prosecutione Amoris eius, prorsus contrarium obseruatur: adeò verum est, quòd *omnia sint vanitas, præter amare Deum.*

II. Diuersi amantium, Deóque seruientium Ordines sunt: In primo numerantur, qui illum amant, neque vllius rei pretio inducerentur, vt eum lethali peccato offenderent, verùm hîc consistunt & peccatis venialibus, vbicumque sese offert occasio, liberè & sine cura indulgent. In secundo sunt, qui etiam peccata venialia non admittunt, nisi per subreptionem, adeò illa abominantur, sed de passionum & appetituum mortificatione parum sunt solliciti. In tertio, qui frangunt quidem & domant omnes

passiones suas, nulla neglecta. verùm ad sublimium solidarúmque virtutum acquisitionem non connituntur. In quarto denique sunt ij, fideles, egregij, & perfecti amantes, qui nihil omittunt eorum, quæ ad virtutis consummationem amplificationémque diuinæ gloriæ faciunt, quantacumque contentione & dispendio opus sit, nunquam dicentes *sufficit*, sed ad vlteriora semper se promouentes. In quo ordine tu consistis? quid? etiámnũ in primo? Vah! istud est, quod Angelus tuus, & B. Virgo obstupescit.

III. Quod rebus omnibus bonitatem & elegantiam conciliat, Amor Dei est: ita nihil deformius animâ hoc amore destitutâ, neque quidquam amabilius corde veri sincerique amantis. Atque hoc adeò verum est, vt Deus pluris faciat vnam animam illius amore flagrantem, illique soli placere cupientẽ, quàm reliquam totius vniuersitatem naturæ.

IV. Erras, anima mea, non in magnis solùm actionibus, quæque speciosę sunt, Amoris diuini magnitudo reperitur; etiam in paruis, humilibus, & secretis exi-

existit. Amor inaurat & amplificat omnia; & Iesus laudibus extollit viduam illam, quæ duo æris minuta contulit, & silentio præterit Salomonem, qui, subductis rationibus, plusquam bis mille milliones auri ad templi structuram contribuerat.

V. Semper audij, cogórque credere, scire neminem posse, vtrũ in Amore Dei eiusq; gratia viuat; & illud est, quod me sollicitum tenet atque anxium. Optimè, quod thesaurus absconditus est Amor: talis illũ possidet, qui possidere se nescit. Tantùm existimemus, nos nihil hactenus dignũ Deo fecisse, & vehementi desiderio optemus illũ amare, & de virtute progredi in virtutem; sentiant alij, quod libuerit, ego aio, illic sedem esse Amoris.

VI. Nullius rei maiori cupiditate teneor, quàm vt æstimem me aliquo ferri in Deum amore. Nullam cupio ex vlla creatura voluptatẽ, sed tantùm ex Creatore. Omnis mea delectatio est, vt delectetur Deus. Vtinam millies millena millia talium cordium haberem, quale fuit cor sanctissimæ Virginis, & omnes o-

nium Beatorum virtutes vnus possiderem! vt amarem & seruirem Deo meo omnibus illis cordibus, & exercitatione omnium illarum virtutum! istud demum esset illum amare, & certissimum indicium Amoris, sub hac flamma, latentis.

Hora quietis & relaxationis animi, deinde Officij, vel alterius Orationis vocalis. Visitationis Vener. Sacramenti, denique præparationis ad Meditationem seq.

III. MEDITATIO.

De exemplis Sanctorum in amando Deo.

Oratio præparatoria consueta.

I. PRæludium. Propone tibi sanctos Paradisi Incolas, eos præcipuè, qui tibi in veneratione sunt, & singulatim illos interroga, quâ ratione sint istam gloriam consecuti. Respondebunt verbo Dauidis: *Dilexi.* Idem pete à S. Maria Magdalena; dicet: *Dilexi multùm.*

II. *Prælud.* Pete gratiam, vt Sanctorum, Deum amantium, exemplo proficias, améſque quemadmodum illi amauêre.

I. *Pun-*

I. *Punctum.* Considera primò Amorem, quem Deo testatus est Patriarcha Abraham, quando tantâ animi magnitudine decreuit obtruncare Filium suum *vnigenitum, quem diligebat*: insigne profectò Amoris argumentum; vnde Deus videns gladium iam strictum & imminentem collo Filij, clamauit: Siste Abraham, iam nunc cognoui, quòd ames me, cùm non peperceris Filio tuo vnigenito propter me. Velle obtruncare id, quod charissimum est, vt Deo obtemperetur, & in testificationem sui erga eum Amoris, hoc demum verè amare est. Secundò, Amor S. Pauli, desiderantis anathema esse, hoc est, vt nonnulli explicant, non tantùm societate fidelium excludi, sed etiam addici inferno, sine iactura tamen gratiæ diuinæ, pro salute proximi obtinendâ, idq; ex amore Magistri sui Iesu, verè ingens & solidus fuit; vt etiam is, quando asserere ausus est: *Certus sum, quia neque mors, neque Vita, neque Angeli, neque Principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum,*

neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei. Tertiò, Nec minùs amauit Anselmus, quando dicebat se tanto Amore ferri in Deum, vt mallet eo præditus demergi in barathrum inferni, quàm cum aliquo peccato euehi in cælum. O Deus amorum meorum! cur non immolo tibi meum Isaacum, meas voluptates, mea vota & desideria, quidquid denique mihi charissimum est? cur non firmissimo animi decreto statuo, te nunquam offendere qualicumque oblatâ occasione: imò statuo, & damnari malo, quàm deserere Amorem tuum.

II. *Punctum.* Expende primò Amorem Catharinæ Senensis offerentis se, vt in inferni aditu collocetur, quo sui obiectu corporis impediat, ne vllus imposterùm eò præcipitetur, vtque Deus ametur ab omnibus, quamuis necesse foret, ita illam beatissimo Dei aspectu priuari. Secundò, illum S. Teresiæ dicentis; se pati sine inuidia posse, vt alijs cedat in gloria cælesti, vt tamen cuipiam concedat in amando Deo, tolerare

non

non velle. Tertiò, illum amorem S. Alexij, qui patrem, matrem, sponsam, opes, honores & voluptates deseruit, vt peregrinum totis septendecim annis ageret, & totidem deinde annis ignotus sub scalis domûs paternæ transigeret vitam: idque ex solius Dei Amore. Mortales, & tu, anima mea, cuius rei inuidia tangimini, si non horum amantium, vt paribus amoribus ardeatis?

III. *Punctum*. Meditare primò amorem S. Francisci, verè Seraphici in amore. Nulli creaturæ adhærescebat: cor eius plenum erat Deo, & omnibus creatis rebus vacuum; ex hoc Lemmate colliges: *Deus meus & omnia*! Secundò, illum S. Augustini, qui in omnibus scriptis suis non aliter de Deo, & pro Deo loquitur, quàm amator vix sui potens. Illum laudat, illi benedicit, illum glorificat, desiderat vt ab omnibus ametur, in amorem illius toto affectu, toto corde, & conatu rapitur. Inde cor igneum illi appinxere artifices & à nonnullis aliquando Cor sanctum dictum

est, vt ostenderent amorem Dei, si perderetur, in corde S. Augustini posse reperiri. Denique illum S. Magdalenæ, quæ per tricenos annos in speluncam se abdidit, vt prosequeretur eum amorem, quo eum iam *multùm diligere* cœperat. O Dei amatores! aliquid de amore vestro mihi concedite: cui enim bono cor meum, & amor meus & quidquid in me est, si non pariter, atque vos, amo!

Colloquium ad hos & alios sanctos Dei amantes. Admirare illos, Gratulare, eodem anhela. Pater, Aue.

Recollectio. Lectio Thomæ de Kempis fortuita. Rosarium. Visitatio Venerabilis Sacramenti. Cœna. Recreatio. Litaniæ Sanctorum. Visitatio Venerabilis Sacramenti. Præparatio Meditationis crastinæ. Examen Conscientiæ. Quies, sed priùs Terram ter deosculare in honorem SS. Trinitatis. Faciunt id nonnulli manè, dum surgunt, & Vesperi, dum cubitum concedunt, vt coram Deo se humilient, & vt mortis, & pulueris, in quem reuersuri sunt, meminerint.

NO-

Fiat Voluntas tua, sicut in Cælo, & in Terra IX



h. netto

NONVS DIES.

De conformitate nostræ voluntatis cum diuinâ.

HAgiophila, si otium & animus tibi est, vt duos adhuc dies solitudini tuæ impendas, en materiam. Parum est amare Deum, nisi idem velis, quod ipse vult; & in eo cardo rei vertitur, vt scias qua id ratione fieri oporteat. Dabimus hodie operam huic studio.

Visita Venerabile, & ad Meditandum te para.

I. MEDITATIO.

De incitamentis, ad conformandam nostram voluntatem cum diuina.

Oratio præparatoria consueta.

P*Ræud.* I. Propone animo tuo Dei filium dicentem, nihil aliud sibi placere, nisi quod sit ex beneplacito, & voluntate Dei Patris, *Quæ placita sunt ei, facio semper.*

II, *Præud*, Vtinam possem semper

velle quod Deus vult,& me conformare cum ſanctiſſima illius voluntate?

I. *Punctum.* Nihil Dei voluntate, & Conformatione cum illâ, eſt amabilius. Ah quis illam non amet! Ah quis hanc non amplectatur! quandoquidem viuere cum hac conſenſione, ſit primò, habere cor, ſecundùm cor Dei, quod de Dauide ſacræ paginæ teſtantur, *vir erat ſecundùm cor Dei.* Secundò, eſt velle, quod Deus vult, & nolle, quod Deus non vult. Aliquáne certior ſecuriórque regula excogitari poteſt? Tertiò eſt acceptare omnia de manu Dei, & promptum paratumque eſſe,ad quiduis,quod paterna illius prouidentia diſpoſuerit, ſeu proſperum, ſeu aduerſum, ſeu ad modicum, ſiue ad longum temporis interuallum; ſiue opera amicorum, ſiue hoſtium; ſiue merearis, ſiue præter meritum tuum ſit; ſiue naturæ genio eò rapiare, ſiue inde abhorreas; vtvt ſit, ſemper amabile eſt, quidquid amantiſſima Dei manus porrigit & diſponit. Ratum ſtatutumque apud me eſt, ô Pa-

ter

ter amantissime, sequi nutum adorandæ voluntatis tuæ. Homo committat Medico valetudinem suam, lites aduocato, & vitam suam (si oculis captus est) Puero, & Cani subinde, vt deducatur; & ego dubitem me tibi concredere, qui es bonitas ipsa, & qui maiore cura sapientiaque nos gubernas, quàm desiderare ipsi possemus?

II, *Punctum*. Omnia me sollicitant, vt me conformem diuinæ voluntati. Primò, peccato excepto, nihil euenit sine expressa Dei voluntate. Morbi, valetudo, honores, opprobria cuncta, ab illo accidunt. Vnde Iob facta omnium fortunarum suarum iactura dicebat; *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum*. Secundò, creaturam iure meritissimo conuenit subiectam esse suo Creatori, & seruum Domino: *Nonne Deo subiecta erit anima mea*? Tertiò, omnes Creaturæ, etiam vitæ & sensus expertes, Dei voluntatem exequuntur. Quartò, sancti omnes, & quicumque aliqua perfectionis laude

floruerunt, hanc vitam regiam tenuere. Scilicet decebit, ô anima mea, vt hinc deflectas, aliamque ab illis ſemitam ingrediaris?

III. *Punctum.* Quod maximè ad hanc Conformitatem allicit, eſt ſingulare animi ſolatium promanans ex eo, quòd quis poſſit obſequi tanto Domino, velle, quod ille vult, omnia accipere veluti ipſius benigniſſima manu porrecta, nullius rei affectu duci, aut cupiditate; vtcumque cadat, acquieſcere, & conſentire. Quanta felicitas, dicere poſſe diuinæ Maieſtati viuendo moriendoque: *ſic placitum eſt, ſic fuit, ante te: Fiat voluntas tua.* Non me oppono: nollem aliter. Meliùs loqui non poſſet Angelus incarnatus, neque maiori lætitia animíque voluptate deliniri, ſi inter nos verſaretur.

Colloquium: magne Deus largire mihi hanc cum amabili tua voluntate conſenſionem: tam frequenter dico me amare te, aſt vbi eſt amor meus, ſi non idem volo, quod tu vis? quicumque

amant,

amant, idem velle habent & nolle ad omnia, in quibus virtus non offenditur; & vbicumque parùm amoris eſt, modica quoque reperitur hæc voluntatum conſenſio, vbi multùm, magna eſt: cur ergo non penitus conſentio diuinæ voluntati tuæ, vt vel iſto indicio colligam magnum eſſe aduerſus te amorem meum? Pater, Aue.

Recollectio Meditationis. Delectus tesseræ, dictum D. Pauli eſt: *Domine quid me vis facere?* Iſtud vſurpare poteris, vel illud ore ſeruatoris probatum & omnibus familiare: *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra.*

Sequitur pars aliqua Officij, aut alia Vocalis Oratio. Deinde ſacrum. Tum Lectio ſpiritualis, vel hæc, vel alia.

DISSERTATIO MATVTINA.

De damnis voluntatis propriæ.

SI in mundanos homines conijcias oculos, ſoli ſapere, totâque frui prudentia videbuntur. Quando de ſuſcepti operis confectione agitur, tangunt

illi præ cæteris nodum difficultatis, & quâ parte arripi negotium debeat, nouerunt. Præſertim milites valde gnari ſunt, in votorum ſuorum proſecutione, vt ab hoſtibus victorias reportent: Ita ſummus militiæ præfectus, vt res ſuas aſſerat, nitetur viribus omnibus redigere in poteſtatem ſuam Regni Metropolim, ſi cæterarum vrbium occupationem meditetur; aut verò partis aduerſæ Ducem opprimere, ſi prælio decertare conſtituat; cùm non ignoret, Duce ſuperato facilè ſubijci reliquos milites; & capta Metropoli, ſecuturam cæterarum vrbium deditionem. Quam ob rem Gothi rectà Romam petiuere? niſi quòd à prudentia militari didiciſſent, tum ſe Imperij Occidentalis fore Dominos, cùm vrbe, orbis domina, potirentur? Cur Arteſiæ Comes author erat fratri ſuo, S. Ludouico Regi, quando mare traiecerunt, vt Babylonem tentaret? niſi vt Regia vrbe occupatâ, totam facile Ægyptum ſuæ ditioni ſubijceret? vnde rebelles Hugonottæ toties ciuitati Pariſienſi

ſienſi ſunt inſidiati? niſi quòd illa domita, crederent cæteras ſine laborè ſpontè ceſſuras? quidquid hac ratione ſuſcipitur, felici ſucceſſu non caret: contere ſerpentis caput, & actum de vita illius eſt; fontem exſicca & fluere riuus ceſſabit; Conchæ vnionum genitrices Regem habere dicuntur, illum retibus tuis include, & cæteras cepiſti; euerte fundamenta, & domus concidet; Arcis portam occupa, & arcem viciſti; Cor ſerua & vitam aſſeruiſti. In omnibus negotijs ſæcularibus, ad eum omninò modum, proceditur; rei principalis curam habe, & acceſſoria conſequetur; hæc ſumma ſapientię prudentiæque humanæ eſt, & mundanorum.

Sed bona illorum pace, reperiuntur Dei ſerui, filij lucis, qui in prudentia filijs tenebrarum non concedunt; præſertim quando de amore diuino, ſolidíſque virtutibus comparandis, agitur: ſolùm in rem præcipuam intendunt, ſecuri, quod cætera nullo negotio ſequentur. Et quia grauiores hoſtes nō experiuntur, quàm

paſ-

passiones & cupiditates proprias, illarum præcipuam adoriuntur, vt illâ deuictâ, cæteris quoque imperitent; Metropolim petunt, & Babylonem, tum demùm se victores, dominosque omnium reputantes, vbi hanc oppresserint.

Patere, Hagiophila, me nunc saltem augurem esse, & hodie vaticinari, quænam sit tuarum passionum Metropolis, quis Dux tuorum vitiorum, quæ scaturigo, vnde spirituales tuæ miseriæ emanent, vt secundùm optima tua proficiendi desideria, Babylonem hanc, hunc hostem capitalem aggrediaris, vt eorum iugum excutias, illoque prudentiæ in vita spirituali tam necessariæ officio ritè fungi possis. Optarem te esse de filijs lucis, qui quà oportet, gradiuntur, & de egregijs illis militibus, qui vt decet, hostem inuadunt.

Aut grauiter erro; aut verum est, te plenam esse amore proprio, inclusamque in arce tuæ propriæ voluntatis detineri, vbi tui amans, & commoditatum tuarum, appetituum, sensualitatúmque reti-

retinens, velut in firmis aggeribus te Deo inexpugnabilem exhibes: effectus gratiæ illius & robur inſpirationum internarum parùm, aut nihil apud te euincunt. Neceſſe igitur eſt, id à te obtineam, vt maledictam illam propriam voluntatem procul amandes, quandoquidem tacitè fatearis, eam plus nimio in te dominari. Alio perſuaſionis artificio non vtar, quàm demonſtrando illam eſſe malorum omnium peſſimam; & puto, ſufficiet, vt diſcas eam cane peiùs & angue abominari. Tam improba eſt, inquit S. Bernardus, vt ludibrio habeat omnia: illi, ſi frænum laxes, neque lex eſt, neque Deus; cuncta implet factionibus, ſeditionibuſque, omne rationis bonarumque affectionum lumen extinguit. a *Illa natura docet nos non parcere, rationi non acquieſcere, non obtemperare ſaniorum conſilio vel exemplo.* Vnicus actus propriæ voluntatis in re paulò grauiore ſufficit, ad conuellendas omnes animi vires, ad perturbandam con-

a *Serm. 19. in Cant.*

conſcientiam, eamque in periculum ruinæ adducendam. Conferens aliquando cum viro graui de quodam Religioſo, qui à vocatione ſua reſilierat, quantumuis excellere virtutibus videretur, aiebam mirari me vehementer hanc Iuuenis ruinam: quid, inquit, tantoperè mirandum eſt? vnica indignatio ſufficit, vt animum immutet, atque de malo in peius vſque ad ipſum præcipitium deducat. Et quid aliud indignatio eſt, quam actus propriæ voluntatis, & amoris erga ſe inordinati, qui præ rebus alijs omnibus infert animæ (cæco quodam impetu in perniciem ruenti, neque præuidenti ſecuturos euentus funeſtos) incredibilem vaſtitatem? Ea ſaltem D. Bernardi opinio eſt: a *Nihil ſic extinguit ſpiritum diſcretionis, quomodo propria voluntas ſubuertens corda hominum, & rationis oculos claudens.* Sanctus ille vir ſatis habebat experimenti, vt iſtis coloribus peſſimam creaturarum exprimeret, & velut perniciosiſſimam diffama-

a *Serm. 19. in Cant.*

famaret. Fortaſſis ab Apoſtolo didicerat, eam tali æſtimatione proſequi: nam D. Paulus nullam ex omnibus creaturis, niſi hanc timebat, & quando cæteras omnes, quæ conſtantiam ſuam infringere, Deique amorem labefactare potuiſſent, in apertum quaſi duellum prouocauit, hanc aggredi nominatim, auſus non eſt. *Certus ſum*, inquit, *quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque fames, neque nuditas, neque perſecutio, neque gladius, neque periculum, neque anguſtia, neque fortitudo, neque creatura alia poterit nos ſeparare à Charitate Dei.* a En inuictum Apoſtoli animum, qui nihilominùs propriam voluntatem metuat, neque audeat illam vti cæteras prouocare; adeò ſciebat illam, præ reliquis omnibus, nequam eſſe, atque formidandam. Quòd ſi illam citet, facit id dumtaxat ſub generali creaturæ vocabulo: *neque creatura alia poterit nos ſeparare.* Neque puta hanc meam eſſe animaduerſionem in-

a *Ad Rom. 8.*

in verba Apostoli, ipse D. Bernardus id egregie annotauit: a *Cùm tot & tanta dixisset Paulus, vnam scilicet propriam voluntatem reticuit, quæ saluationis, & damnationis est causa.* Illam ergo Apostolus non nominauit, etsi nequitiam illius & periculum haberet perspectissima. Sed adeamus aliquem maiori præditum fiducia, qui nobis naturam huius propriæ voluntatis exponat, dicátque, qualis bellua sit hæc detestabilis creatura. Facile illum reperiemus, neque aliò iri necesse est, quàm ad eundem S. Bernardum, qui iam mentem suam vtcumque patefecit. Adeundus ille potiùs est, quàm alius, cùm viuam eius imaginem proponat, cùm horrendum illi bellum indicat, cùm detegat illius malitiam, & cumulum damnorum ex ea prouenientium, sensu, quàm alius, acutiore. Ex tanta malorum congerie, quæ de illa diuersis locis operum suorum enumerat, non attingam, nisi duo triaue, vt ex ijs arbitreris, num iniuriâ dixe-

a *Lib. de Conscient. in proœmio.*

dixerim, illam esse pessimam perniciosissimamque.

In declamationibus suis potissimum aduersus illam perorat, infamatque sanguisugæ nomine: *fuge hanc sanguisugam propriam voluntatem, & omnia reliquisti; hæc enim omnia trahit ad se: depone illam: & iugum tam importabile, quàm multiplex, abiecisti.* Soli sanguisugæ vocabulo inhæreamus, plurimos enim sensus comprehendit: sanguisuga trahit & exsugit omnem sanguinem, etiam valentem, si eius auiditati indulges, & vires vsque ad animi deliquium debilitat: ita prorsus voluntas propria: nihil tam valens, támq; sanum apud te est, quod illa non sorbeat, cuique pestiferum suum os non applicet. Particeps esse vult actionum etiam sanctissimarum, & ex genere suo optimarum, sed eas sibi arrogando labefactat, corrumpitque. a In Isaia nonnullis res stupore digna videbatur, quòd Deus eorum ieiunijs, & submissionis actibus non afficeretur, adeóque querruli dicebant: *Quare ieiunauimus, &* non

a *Cap. 58.*

non aſpexiſti; humiliauimus animas noſtras, & neſciſti? paucis Deus reſpondit: *Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra.* Mirari deſinite, quòd quidquid agitis mihi diſpliceat, veſtram voluntatem, non meam, facitis; hæc vnica ratio eſt, alia inquiri non debet. En Hagiophila, materiam, quæ terrorem incutiat Narciſſulis illis, ſuarum tantùm rerum amatoribus, quique viuere nolunt, niſi ſuo arbitratu, & iuxta beneplacitũ ſuarum voluntatum, etiam in rebus, quæ ſpeciem boni præſeferunt. Dicet hic: volo concionari, volo tali fungi officio, quod ad genium meum eſt, & quidem hoc loco, non alibi; ille animum obfirmabit aduersùs adornationes, & vſum communitatis, vt viuat more ſuo: dedet ſe deuotionibus omninò peculiaribus, aſſumet pœnitentias & mortificationes à recepta conſuetudine alienas; quia ita vult, & voluntati ſuæ arbitrióque obſequi placet. Horrendum! nihil horum Deo acceptum eſt, vana ſunt omnia, ſine merito, neque vllo gloriæ

præ-

præmio remuneranda; hirudo iſta delibauit, placere Deo non poſſunt. Hirudo execranda! quæ nonnunquam vſque ad extremam ſtillulam, totum ſanguinem exſorbet: ita maledicta propria voluntas, ſubinde ipſam quoque exſugit gratiã vocationis: imò verò, vidi quoſdam quòd addicti eſſent propriæ voluntati ſuæ, nihilq; agere vellent, niſi quod lubebat, turpiſſimè defeciſſe, malentes ſæculum repetere, quàm ſe ſubmittere Dei & ſuperiorum voluntati; imò verò, noui, qui laqueum circumferunt, quique excuſſa vera libertate filiorum Dei, quæ in benigna ſubmiſſione conſiſtit, vt collum falſæ deceptoriæque libertati ſubijcerent, ignorant, quò tandem deuenturi ſint, inter tot tamque periculoſas huius mundi procellas, quibus continuò agitantur; eò quòd neglexerint tollere ſanguiſugam illam, & conterere perniciosam hanc propriam voluntatem, quæ illos calamitatibus inuoluit, quarum poſſent æternũ pœnitere. Imò verò, ſcio eſſe in domibus Religioſis, il-

los & illas, quibus ad emergendum contendendumque ad perfectionem vires desint: funesta illa hirudo aufert omnẽ generosum sanguinem, & propria voluntas, quæ libita tantùm exequitur, sic illos debilitat, vt vitam ducant languentem, ignauam, imperfectionibus vitijsque refertam, quæque intuentibus stomachum & nauseam moueat; omissis molestijs incredibilibus, quibus superiores affligunt, & pessimis exemplis, quibus alios integramq; familiam corrumpunt. Et quænam horum malorum causa est, & origo? nisi propria voluntas, nisi peruersissima illa creatura, quam nominare Paulus non audet, nisi detestanda illa hirudo, cui S. Bernardus, tam malè imprecatur? Liceret mihi, per otium, reliquos ipsius titulos recensere; non dubito, quin eam magis, quàm mortem reformidares, & velut Infernum execrareris: posteaquam dixit eam esse sanguisugam, addit: *Non est Dominus crudelis ad illam, non est Tyrannus, tam impius & inhumanus, sic vrgens seruulum;*

nullum; inquietum malum, nullum onus importabilius, nulla grauior est sarcina. Propone tibi ob oculos omnem crudelitatem barbariemque alicuius Tyranni; & vastitates omnes, quas animæ infert propria voluntas, vidisti. Adferamne præterea, quod idem S. Doctor alibi de illa pronuntiat? cum vipera componit: *Caueamus*, inquit, *à propria voluntate tanquã vipera pessima, & nequissima, quæ sola deinceps damnare posit animas nostras.* a Istud profectò est, quod terrorem ijs queat incutere, qui voluntati suæ contra diuinam & superiorum voluntatem obsequuntur. Auertat à nobis Deus hanc crudelem viperam, quæ suam Matrem, hoc est, animam euiscerat atque interimit. Cuius formidanda est, quisquis enim suis opinionibus vehementiùs adhærescit, & propriam voluntatem, velut idolum, adorat, duobus solùm digitis ab inferno abest, & prodigij instar erit, si euadat. Testis est deplorandus ille Monachus

a *Serm. de relinq. propr. volunt.*

chus Heron, qui quadraginta annis benè ſanctéque peractis, morſus ab hac diabolica vipera, corporis animæque iacturam fecit: *a Vipera peßima, quæ ſola damnare poßit animas noſtras.* Ex omnibus hiſce diſcamus, quanta ſit eorum miſeria, qui ſolam peruerſæ ſuæ voluntatis directionem ſequuntur. Nonnullos reperias, quibus nihil placet, niſi quod eſt ad palatum ſenſumque ſuum; diceres eos regi à Spiritu ſancto, adeò nihil rectè factum eſt, niſi quod illi volunt, quodque approbant. Miſeræ victimæ ſunt, quibus ſanguiſugæ optimum ſanguinem exhauriunt, ſunt mancipia furori & violentiæ crudeliſſimi Tyranni ſubiecta; ſunt creaturæ traditæ viperis, quæ eas dilaniant, & vitâ priuant. Clariùs, quàm vnquam aliàs, video animæ Religioſæ abſtinendũ penitus à vocabulo illo: *Volo.* Eſſe debet ſine voluntate, aut ita ſe gerere quaſi illius foret expers, nullum illi exercitium permittendo, ſed velut mortuam

ſepul

a *Ex Caſſiano, & Roder. Tract. de Obed.*

ſepultámque tumulo obedientiæ habendo, quod egregiè innuit S. Ioannes Climacus, dum ait: *Obedientia eſt ſepulchrum propriæ voluntatis.* a Quiſquis ita fecerit, voluntatem ſuam, cum voluntate Dei, aut Superioris, eius Vicarij commutabit; eámque velut agendorum, omittendorúmq; regulam certiſſimam ſibi proponet. Quiſquis relicta vita ſæculari ſe Deo commiſit, prudentiùs incedere non poteſt, quàm ſi dictum huius diuinæ & amabilis voluntatis ſequatur. Plerumque neſcimus, quid appetamus; nobis ipſis blandimur; excæcant nos paſſiones noſtræ: quid igitur æquiùs facere poſſumus, quàm amplecti lumina huius voluntatis, quæ nouit optimè, quid ſit in rem vtilitatémque noſtram! An Angelos ſapientiâ ſuperamus? at ex ijs fuere, qui obſequendo ſuæ voluntati, perierint: b *In cælum conſcendam, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis,* aiebat eorum Princeps, pluráque addebat alia, quæ eſſe, aut facere volebat. Ad

a *Grad.* 4. b *Iſa.* 14.

quæ reſpondet Bernardus: a *Tu tibi miſer ſedem collocas in Aquilone, plaga frigida & nebuloſa.* Et quid agis miſer? volebat te Deus collocare *in ſplendoribus Sanctorum,* & tu deligere vis Aquilonẽ, quo nulla Mundi plaga frigidior eſt, aut maioribus nebulis obfuſcatur? quidni negotium Deo committebas? perijſti: quia tuæ voluntati obſecutus. O quot adhuc Luciferos tellus iſta fert, qui occupationes ſibi procurant, qui dimoueri ſe locis, quæ arrident, non patiuntur, qui ambiunt officia, & dignitates, vnde ruant! *quid miſeri, ſedem collocatis in Aquilone, plaga frigida & nebuloſa?* Filij Zebedæi eſtis: *Neſcitis, quid petatis.* Petebant hi quâdam honoris cupiditate obcæcati, adhibitâ Matris interceſſione, vt vni liceret ad dexteram Filij Dei, alteri ad ſiniſtram conſidere. At fatuam fuiſſe poſtulationem oſtendit S. Chryſoſtomus, Chriſti loco reſpondens: *Neſcitis, quid petatis; ego vos vocaui ad partẽ dextram de ſiniſtra, & vos veſtro conſilio curritis ad ſiniſtram.* Ad eundem modum

a *Serm. 17. in Cant.*

ſæpe

ſæpe nos inſani facimus. Si Deo & Superioribus totam noſtri curam relinqueremus, cederent meliùs omnia, meliúſque collocaremur, quàm ſi voto noſtro propenſioníque fuiſſet ſatisfactum; vnde amitteremus bona præſentia diuinarum gratiarum, & futuræ gloriæ incrementa: iuxta D. Bernardi ſententiam: *Grande malum propria voluntas, qua fit, vt tua bona, tibi bona non ſint*. Si huic malo ſubiecta es, Hagiophila, prouide; ſi præcipua hæc tua paſſio eſt, viribus omnibus, & quouis impendio ab eadem te expedias: & vt vitam ducas hilarem tranquillámque, ſcias medium nullum eſſe efficacius, quàm vt voluntatẽ tuam nunquã facias, verùm eidem renunties, vt voluntatem ſupremi Domini exequaris; ſi aliqua huius vitæ felicitas eſt, illic conſiſtit, *quoniã vita in voluntate eius*. a

Addi poterit Lectio quatuor priorum capitum tract.8. part.1. Rodericq. vbi de conformitate voluntatis humanæ, cum diuina ſermo eſt. Aut lege cap. 23. & 25. lib. 3. de Imitatione Chriſti.

a *Pſal*. 49.

Absolutâ Lectione, renoua deuotionem tuam, erga Sanctos, quos quotidie in opem, & tutelam, ex Martyrologio, vel aliunde, eligis. Credo equidem affici te erga Sanctum illum, quem totius anni Patronum instituisti, & illum etiam, qui tibi forte singulis mensibus accedit, verùm de quotidiano Patrono dubitare posse mihi videor, cùm tamen ea insignis & vtilissima deuotio sit. Quare author tibi sum, vt hodie illam innoues. Et adiumento esse tibi poterit, caput tertium & vltimum, *fœderis mei cum cælitibus contrahendi*, si ad manum est.

II. MEDITATIO.

De Excellentijs & Prærogatiuis Conformitatis cum diuina voluntate.

Oratio præparatoria consueta.

I. PRælud. Propone tibi S. Paulum, qui in tam præclarum Apostolum, nobilémque Dei ministrum ideò euasit, quòd primo statim Conuersionis suæ exordio se diuinæ voluntati penitus commisisset, dicens: *Domine, quid me vis facere?* paratus ad omnia sum. Hoc verbum origo fuit, & princeps causa illius exi-

eximiæ ſanctitatis, quam deinde conſecutus eſt.

II. *Prælud.* Pete à Deo, vt tibi clarè manifeſtentur emolumenta perfectæ conformitatis, vt huius exercitatione, particeps eorum fieri merearis.

I. *Punctum.* Interna ſui Reſignatio & conformatio cum diuina voluntate, eſt nota eorum, qui ſincero amore, fidelique obſequio Deum proſequuntur. *Fideles in dilectione acquieſcent illi.* Æquiſſimum illud eſt, ſeruire enim oportet Domino ex illius ſententia & voluntate, neque benè ſeruiet, qui ſibi hoc axioma non propoſuerit. O amantium fideliſſime! volo inter tuos fideles eſſe, imò ſi poſſim, cæteris exactior, vt exequar omnes voluntates tuas, etſi minimo eæ nutu ſignificentur! volo, ô Dominorum optime, vt hoc indicio omnes agnoſcãt me eſſe de numero ſeruorum tuorum!

II. *Punctum.* Sancta & perfecta iſta conformitas nobiliſſimum eſt munus, quod offerre poſſumus diuinæ Maieſtati: per hanc enim præſentamus id, quod

propriè nostrum est, & reliquis omnibus præstantius. Aurum, argentum, opes, corporis afflictiones, & quidquid aliud, nihil est, si cum corde, voluntatéque comparetur; qui cor donat & voluntatem, donat omnia, nihil seponit. Deo etiam sic placet, vt munus nullum ei acceptius sit, quandoquidē eâ ratione sibi subiectas habet nobilissimas suas creaturas. O Deus vnicè supremo digne imperio, & voluntatum omnium tam Angelicarum, quàm humanarum Dominator meam integrè penitúsq; tibi consigno, & me gloriæ, quæ in voluntatum tuarum adimpletione consistit, posse aliquid adijcere, vehementer lætor.

III. *Punctum.* Hæc conformitas mater est tranquillitatis animi, & gaudij interioris. Illud canebant Angeli in Saluatoris Natiuitate: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Quinam verò sunt bonæ voluntatis, si non ij, qui suam cum diuina conformant? Illud Iob dicebat: *Acquiesce Deo, & habeto pacem, eritq; omnipotens contra*

hostes

hostes tuos; tunc super Omnipotentem deli-cijs affl ues. Hinc è contrario accidit, vt qui diuinæ voluntati aduersantur, vt satisfaciant suæ, nullâ pace, nullâ quiete perfruantur, sed magnis exagitentur tumultibus, inquietudinibúsque; *Quis restitit ei, & pacem habuit?* qui verò consentiunt, eique se accommodant, Regulorum instar, vitam degunt solatijs plenam. Ita mendicus ille tam rerum inops, quàm virtutum diues respondit Taulero, quis esset interroganti: Rex sum, & Regnum meum est anima mea, vbi omnia ex placito & voluntate Dei contingunt. O talium Regum Amator Deus, fiat beneficio tuo anima mea Regnum Pacis; malo enim mortem oppetere, quàm vel minimæ tuæ voluntati aduersari.

Colloquium. Dic cum Dauide: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum;* vis vt aëris & anni tempestates mihi graues sint, & frugibus inimicæ? *Paratum cor meum.* Vis me diuitem, àn pauperem; honoribus elatum, an dépres-

pressum infamia; solatijs abundare, an mœroribus? quod vis, volo. *Paratum cor meum.* Vis me formam habere, an turpitudinem? valetudinem, aut morbos? ingenium, aut stupiditatem? vitam, aut mortem? *Paratum cor meum*, DEVS. Voluntas enim mea, tua est. Optas, & decernis, vt parùm, aut multùm in virtutibus proficiam? parùm, aut multùm in gratia, & amore tuo? magnam gloriam, aut exiguã in cælo consequar? idipsum optat cor meum. Ita enim promptum est ad omnes voluntates tuas, vt nihil aliud desideret, quàm illas accuratè adimplere. *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.* Pater, Aue.

Recollectio. Visitatio Venerab. Sacramenti. Examen Conscientiæ. Prandium. Recreatio. Tempus scribendi, aut proposita proximè concepta, aut rem aliam, ad aliquod animi leuamen.

Sequitur Lectio spiritualis.

DIS-

DISSERTATIO POMERIDIANA.

De felicitate eorum, qui Deo se totos tradunt.

NVnquam memini eius responsionis, quam fecit (referente Theodoreto) Monachus Macedonius Principi cuidam, quin maximum aliquid animo concipiam de eorum felicitate, qui se penitùs Deo tradunt. Venationi incumbens hic Princeps, altiùs in Eremum penetrauerat, vbi sanctum illum virum offendit: stupere primùm, eo loci hominem reperiri, deinde adire etiam & alloqui, quid in tam semotis nemoribus, & horrendâ solitudine actitaret. At rogo humillimè, inquit Monachus, Celsitudo tua id beneficij mihi præstet, dicátque prior, cuius rei gratia huc accesserit, hinc enim aliquod responsioni meæ momentum accedet. Placet, subiungit Princeps: *Ego veni, vt venarer apros & ceruos. Ego autem veni*, reponit Macedonius, *vt venarer Deum meum & ab hac tam pulchrâ venatione nunquam cessabo.*

Quibus dictis, submisso capite, humilique facta reuerentia se recepit.

Quid videtur, Hagiophila, de hoc homine, in quo dubites, virtutémne, an respondendi acumen magis admireris? quod ad me attinet, videre mihi videor hominem, qui totum se Deo mancipârat, per ingentem creaturarum omnium abdicationem; & apud quem maiore loco & æstimatione non erant omnes totius Orbis Monarchæ, quàm quæuis annosa arbor eius solitudinis, quam summâ animi voluptate incolebat. Et facilè apparet talem illum fuisse, qualem illum mihi propono, tùm ex sancta gloriosáque responsione, tum ex secessu, quem illicò repetijt sine metu displicendi Principi, cum quo colloquebatur. Quantum istud est, semel se Deo integrè tradidisse? summa huius vitæ felicitas est, tum hominibus sæcularibus, tum ijs, qui in Religione degunt; status est (liceat mihi vti eâdem sancti viri consideratione) vbi Deo impenduntur eædem curæ, ijdem labores, sed & eædem voluptates, quas ille

ille capit, qui venatione delectatur, hâc solùm differentiâ, quòd curæ illius, qui se Deo plenè consignat, sint quæstuosiores, & labores gratiores, & voluptates millies, & sine comparatione sint magis deliciosæ, quàm illæ, quibus fruitur, qui tempus omne totámque vitam venando consumit.

Aduertis, Hagiophila, me paulatim insinuare velle, quid sit integrè se Deo tradere; & verò facere id proposui, priusquam excellentiam boni inde prouenientis declarem. Et vt solidiùs hunc primum gradum figam, dico: Tradere se Deo integrè, est: posito firmo animi decreto illum non offendendi culpa aliqua siue mortali, siue veniali, saltem deliberatè, ferri maximo illi placendi studio, idque contentè constantérque; est: proculcare pedibus omnes considerationes humanas commodi, æstimationis, satisfactionis propriæ, valetudinis, vitæ denique ipsius, vt simus id, quod à nobis Deus requirit; est: spiritualibus oculis cuncta intueri, non regi alio lumine

quàm

quàm diuino, accuratiſſimè obtemperando omnibus illius inſpirationibus; eſt: cor habere ab omni creatura vacuum, nullâ aliâ intentione, aut propoſito, quàm vt illud Deo repleatur, rectà in illum tendat, illíque vni laboret, & viuat; eſt: ita nos Deo vnire, vt nihil tam forte validúmque ſit in tota rerum natura, quod nos queat ab illo ſeparare, nihil boni, aut ſolatij quęrentes niſi in illo, & propter illum; eſt: ſe omnino conijcere in ſinum diuinæ illius prouidentiæ, committendo curam & adminiſtrationem rerum omnium ad nos ſpectantiũ, in bonis fortunæ, in valetudine corporis & animi, in ſtudijs & propoſitis, in vita, in morte, in æternitate, vt pro arbitrio cuncta diſponat; eſt denique, ſe in rebus omnibus diuinæ illius voluntati conformare, nihílque aliud velle & deſiderare, quàm quod ille vult, & deſiderat; totum hoc eſt, Deo ſe penitùs integréque tradere.

Diem hunc mihi, Hagiophila, quin & tibi, feliciſſimum luxiſſe iudicarem, ſi poſ-

possem hanc sanctam abdicationem obtinere à te & persuadere, vt te omnino, re nullâ exclusâ, Deo Parenti optimo consignares. Quidquid præ te feras, nondum illius es; paruulis plicis inuolutum est cor tuum, quibus obtegis vanos illos tuos in aliquam creaturā affectus; Amor ille tuiipsius, quo cupis eminere, amari, blandéque haberi ab alijs, optimam cordis tui portionem occupat, vix angulus Deo relictus est. Vbique te quæris; quidquid cupis, appetis vehementer, & cedere Deum, illósque qui te gubernant, necessum est. Non acquiescis eorum voluntatibus, nisi aliquod tuum commodum intercedat; tot inepta proposita, tot insana desideria, tot vanę animi occupationes, tot respectus humani obsident miserum cor tuum, & circumuagantur, aut inuadunt, vt illud ditioni suæ subijciant, excludántque illum, cui istud vni tradidisse videbaris. Itáne, Hagiophila, semper insanies, nunquam eris circumspecta, & toties à creaturis illusâ nondum sapies, adhuc decipi te sines?

post

post tot acceptas ab ijs iniurias & afflictiones, nondum dolos & perfidiam illarum detestaberis? tantáne deliberatione opus est, vt eas deseras, & vt tandem aliquando te dones tuo Creatori? quid per tot recidiuas, tantámque inconstantiam tuam obtines? omnis vita tua, & flos annorum cadendo, surgendóque, & iterum recidendo resurgendóque peragitur: quæ, malum, ista infidelitas? post tot gratias & tanta lumina tibi à Deo concessa, potéstne turpior perfidia excogitari? IESVS & illius Amor nunquam erunt Domini cordis tui? semper misella anima tua erit tuarum præda passionum, & cuiusuis arbitrio libidiniq; exponetur? ô vagam te & mutabilem! aperi tandem mentis oculos, & ingratitudini, perfidiæ & inconstantiæ tuæ modum pone, & iam nunc te consigna Amatori animæ tuæ, trade te Deo penitus, ea quâ fieri par est, ratione ac seriò protestare nihil deinceps fore tam validum, quòd labefactare constantiam tuam poterit, aut minimùm de

iustis

iustis illis & sōlemnibus propositis decerpere. Quisquis volet, Hagiophila, aliò se conferat, tu caue, ne alteri quàm Deo te dones, sis tota illius, ad illū contende, neque aliud quære quàm ipsum, sanctissimámque ipsius voluntatem; & tunc demum, te reputa mortalium felicissimam: & si quando subierint mentem cogitationes, quæ auocare & contrarium suadere niterentur, memineris illicò trium prærogatiuarum felicitatis tuæ, quas tibi in solatium relinquo.

Prima prærogatiua eius, qui se Deo penitùs tradit, est illa immunitas & exemptio à seruitute & fallacijs creaturarum, quæ subiectum miserum cor seriùs aut ocyùs opprimunt, atq; affligunt, scilicet verissimū est, quod quidam cecinit:

Sola salus seruire Deo, sunt cætera fraudes.

Neque magis aberrat Thomas de Kempis, dum ait: *Miser es, vbicunque fueris, & quocumque te verteris, nisi ad Deum te conuertas.* a Res manifesta est, &

a *De Imit. lib. 1. cap. 22.*

& experientiâ nimiùm probata, nullam dari creaturam, cui fidi securè possit. neque vllam esse idoneam, quæ plenè animis nostris satisfaciat. Quis ambigit, quin omnes Orbis diuitiæ cunctæque voluptates, mera sint somnia & deliria? fuit hæc Regij Vatis opinio, qui diuitibus loquens ait: *Viri diuitiarum dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt in manibus suis*. Et quotquot rectè iudicant, in eandem sententiam concedunt. Iobi amicus, gaudium peccatoris ad instar puncti esse asserit, & Tertullianus voluptates omnes vocat momenta voluptatum; & sicut aggregata mille puncta, si Philosophis credimus, punctum vnicum non excedunt, ita omnes mundanorum voluptates, omnes dignitates, omnes pompæ, omnes honores, omnia denique illorum bona, cùm puncta sint, etsi coaceruentur, non sunt nisi punctum. In Annalibus S. Dominici memoriæ proditum est, Rolandum, eximium illum Cremonæ Doctorem, postquam diem cum amicis in omni lætitia-

rum

rum genere consumpsisset, noctu domum reuertisse, tanto pressum animi dolore & fastidio, quanto per diem gaudio diffluxerat: quò nunc (secum tacitus aiebat) eæ voluptates, quas hodie cepi? vbi epulæ, vbi ioci, vbi choreæ, vbi tam chara amicorum societas, quò ista abiere? ex omnibus mihi nihil reliquum est, nisi nausea de celeri illorum transitu, & conscientiæ vulnus de tempore malè collocato, alijsque sceleribus, quæ ibi contraxi. Hæc aduersio plurimùm illi profuit, nam statim decreuit, animum suum à vanis illis solatijs abstractum, integrè Deo consignare, cuius rei gratia Ordinem Diui Dominici ingressus est. Quis prætereà ignorat, non plus fiduciæ in hominibus (vti magni potentésque sint) quàm in caducis illis delicijs collocari debere? non magis fidendum homini, qualiscumque ille sit, quàm asseri putrido carioſóque; inniti subsidio, authoritati, amicitiæque personæ alicuius, est inniti ligno putrido, inquit Origenes, ad rem ingeniosè connectens duas pro-

posi-

positiones Moysis & Ieremiæ: *Maledi-ctus qui pendet in ligno*: & *Maledictus homo, qui fidit in homine*; a quasi vnum idémque esset lignum cariosum, aut arbor mortis, cui scilicet malefici affigebantur, & homo qui natura sua, & ab animi mobilitate mutari potest, & fallere. I nunc, & fide creaturis, huic homini, huic Principi, huic amico, huic familiari, modò memineris, asserem esse cariosum, & lignum, in quo funestum exitum consequaris, & fortasse mortem ipsam aut corporis, aut animæ. Nunquam Domino seruiam, qui mori possit, aiebat B. Franciscus Borgia: tu fac ampliùs aliquid, & dic: Nunquam amabo creaturam, vt in ea affectum & fiduciam collocem, quę destituere aut fallere me queat. Re minimâ opus est, vt cor humanum immutetur, sufficit vna suspicio, minima offensiuncula, aliqua æmulatio, apprehensio leuis despicientiæ; ipsa demum temporis diuturnitas frigus aliquod afflat cordibus amore mutuo maximè

a. *Deut*, 21. *Ierem*, 17.

ximè incensis: & post hæc à tali inconstantia solidum aliquod fulcrum exspecta. Carolus VII. neminem in toto Regno agnoscebat, cui magis fidere posse videbatur, quàm cuidam militiæ Duci. Dederat is talia fidelitatis suæ argumenta, vt Rex immobilem existimaret: nihilominùs cepit eum aliquando curiositas, vt inquireret, forétne aliquid, quo posset ad defectionem, aliúmq; quærendum Dominum sollicitari? Serenissime Rex, respondit, despicientia. Despicientia, inquit Rex, facere id posset? imò verò, opposuit, despientia meæ personæ id faceret, & Maiestatem tuam rogo, ne lubeat experiri. Si me audis, Hagiophila, nulli personæ te dedes, citiùs, aut seriùs mutabitur, & si te non fallet, tamen te destituet aliquando, nisi fortè sit immortalis. Si verò tantum te tenet desiderium innitendi alteri, amandi, cor & affectum tuum largiendi, innitere Deo, vnicè illũ ama, & te integrè illi largire: in eo solo vera quies solidúmque gaudium reperitur, quæ est altera illius præroga-

rogatiua, qui ſe Deo plenè tradit. *Valde auarus eſt, cui Deus non ſufficit;* a Ille ſupremum bonum eſt, & omnium bonorum gaudiorumq; excogitabilium fons, & origo, nullique ſubiectus mutationi, quid te illi donare reformidas? aut quies, & pax, & ſolatium non datur, aut ab hoc amico datur: *Dura ſunt omnia & tu, Domine, ſolus requies*, aiebat S. Auguſtinus: *b* cætera affligunt, ij autem qui te fruuntur, tuíque ſunt, nouam ſemper in te reperiunt ſuauitatem. Noſtrorum Regum aliquis olim monile pretioſum dedit mulieri, hoc inſcriptum lemmate; *Qui me habet; non habet, quod vltra deſideret*. Dictum audax & temerariũ, cùm ſolus Deus ita loqui poſſit, plenéque votis, & deſiderijs ſatisfacere. Qui in Mundo ſunt fortunatiſſimi, quamquam diſſimulent, in ſpinis ſunt, & maximis perturbationibus agitantur, ſi illos Deus deſtituerit, neque amicitiæ ſuæ compotes fecerit; vti è contrario qui Dei eſt, illíque omninò deditus, parem cum Angelis conditionem obtinet, nec minori, quàm illi,

a *Fernand.* b *Lib. 6. Confeſſ. cap. 16.*

illi, animi pace perfruitur, hanc etiam deuotionem suam, minimáque solatia, quæ Deus famulis suis impertit, omnibus terræ delitijs, & mille Mundorum imperijs anteponit. O quàm volupe est audire egregias illas animas, quæ omnem affectum suum in Deo collocârunt, neque alibi, quàm in eo quietem reperiunt! Narrat P. Balthasar Aluarez, sibi Superiori, quendam nostræ Societatis Concionatorem, dum conscientiæ rationem redderet, dixisse, quòd si Deus gratum iucundúmque in hac rerum natura condidit, accumularetur, fierétque æternum, tanti istud facturus non esset, quanti solatia, quæ ex Dei communicatione per horæ quadrantem hauriebat. Doctissimus Suarez ex nostro Ordine fuit eiusdem opinionis, dum asseruit, malle se suam omnem scientiam amittere, quàm negligere vnam horam Meditationis, & occcasionem cum Deo conferendi. Quædam alia persona id frequenter in ore habebat, nolle se permutare illa solatia, quæ ex vnica Commu-

munione colligebat, cum omnibus ijs voluptatibus, quas homines ſimul omnes ex creaturis capiunt. O Deus quies vnica eorum, qui te quærunt, immitte nobis tantum creaturarum faſtidium, vt blandè compellamur ire ad te! ô amor vnicè amande, imple corda noſtra amaritudinibus, & ſatura fallacijs quas inferunt omnes ij, quos amandos iudicamus! fortaſſe hinc diſcemus ſapere, & tandem quamuis ſerò, rapiemur ad te, vt plene ſimus tui, vtque viuamus in ampla illa quiete, quâ fideles tui amantes perficiuntur.

Addamus aliquid de tertia prærogatiua, quæ complet felicitatem eius donationis ſuiipſius, quæ Deo fit: Eſt aliquid, exemptum eſſe ſeruitute & fallacijs creaturarum; plus eſt, eſſe in quiete admiranda, & ſtabili; ſed gaudium inde proueniens, quòd quis Deo adhæreat, & intimè gratiam beneuolentiámque illius acquiſiuerit, nullo ſtudio ad eam occupandam omiſſo, incredibile eſt, præſtátque gaudijs omnibus, quæ poſ-
ſent

ſent hîc in terris obtineri. Tale gaudium fuit B. Angelæ de Fulginio, quo ſic afficiebatur, vt diceret ſe non permutaturam cum omnibus vel licitis, vel illicitis voluptatibus omnium creaturarum; addebátque, etſi anima illius capax foret triſtitiæ (vti in hac mortali vita fieri neceſſe eſt) ſe nihilominùs illic conclaue gaudiorum habere, dum ſe Dei filiam ancillámque reputaret. Magnum diſcrimen eſt inter gaudia Mundanorum, & gaudia filiorum Dei: illorum gaudia ficta ſunt, & ſpeciem tantùm habent gaudiorum, internos animi dolores, & vulnera diſſimulantium; at filiorum Dei ſolida ſunt, interna, & continua, & ita illis propria, vt ſolis conueniant, nullâ eorum ſpe alijs relicta; & quamquam ſubiecta ſint quibuſdam triſtitiæ motibus, illa tamen ſic ab affluentia gaudij temperatur, vt vix triſtitia dici debeat, quod S. Paulus his verbis diuinè innuit: *Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes*, in quæ ſic D. Auguſtinus: *Triſtitia noſtra habet quaſi, gaudium noſtrum*

non habet quasi, quia in te spes certa est; & non dicit Apostolus, quasi gaudentes: a id est, Serui Dei capaces non sunt veræ tristitiæ, sunt autem solidi gaudij, cùm ab ijs gaudij fons, qui est à Deo, & in Deo solo, auferri non possit.

An non sentis, Hagiophila, aliquem huius gaudij appetitum? vis illud obtinere? affige te Deo. *Vis habere gaudium sempiternum*, inquit Augustinus, *adhære illi, qui sempiternus est.* Mundum mundanis relinque, pars tua sit Deus, cui te melius quàm antehac consigna, si istud nunc obtinere abs te possis, reperies in illo quietem tuam, tuam salutem, tua gaudia, & quandam omnium bonorum complexionem: hoc pretio hunc amicum repudiabis?

Si Lectio hæc non sufficit, aut non arridet, prosequere ea de Conformitate in Roderico, quæ manè designaui, saltem quatuor aut quinq; capita, ad quæ perueneras. Aut lege cap. 37. & 59. lib. 3. de Imitatione Christi.

Sequitur Examen.

EXA-

a *In Psal.* 48.

EXAMEN CIRCA TEMPErantiam, & Sobrietatem.

HInc cognoſces, an habeas in Sobrietate perfectionem.

Primò, *Duas duntaxat in die refectiones ſumere, niſi neceßitas aliud exigeret: quam in rem dicere ſolitus erat S. Petrus Luxemburgenſis, non comedere, eſſe Angelicum; ſemel in die comedere, eſſe Sanctorum; duplicem refectionem ſumere, eſſe hominum, & ſæpius id ſi fiat Brutorum eſſe.* Secundò, *Inordinarijs refectionibus, neceſſitatis modum non excedere.* Tertiò, *Nunquam comedere ad ſaturitatem, aut tantum, vt ad ſtudia, ad lectionem, ad orationem aliáque exercitia reddaris ineptus.* Quartò, *Aliquantulum ſe mortificare, tum quoad ciborum qualitatem, tum quoad quantitatẽ.* Quintò, *Non ita cibis immergi, vt non attendamus aut lectioni, quæ ad menſam fit, aut ſermonibus aliorũ, aut pijs conſiderationibus, quas habere nos oportet, dum ſoli ſumus, vel ab alijs ſiletur.* Sextò, *Non vorare, neque tantâ auiditate comedere, vt cibus non rectè maſticetur.*

Septimò, *Non appetere delicatiora, neque in victu, neque in potu.* Octauò, *Vinum moderatè diluere.* Nonò, *Non bibere vltra necessitatem.* Decimò, *Sine eâdem, extra consuetum refectionis tempus non manducare, nisi permissum sit, ne sensualitati, aut ineptæ aliorum consuetudini obsequaris.* Vndecimò, *Non indulgere gulæ comedendo fructus, dulciaria aliásque cupedias siue priuatim & furtim, siue publicè, & cum alijs.* Duodecimò, *Diebus ieiunij nō excedere in sumenda collatione.* Decimò tertiò, *Non plus idcircò sumere, quòd sequenti die ieiunandum sit.* Decimò quartò, *Diebus esurialibus, non ita se in prandio ingurgitare, vt cœna, etiam quouis alio die, valetudinis causa omitti posset.* Decimò quintò, *Parcè cœnare.* Decimò sextò, *De victu nunquam queri.* Decimò septimò, *Non loqui de bonitate vini, ciborum, aliarúmque lautitiarum.* Decimò octauò, *Interdiu de cibis non cogitare.* Decimò nonò, *Conuiuia declinare, & abstinere ab escis calidioribus, quæ aliquod castitati detrimentum adferre possent.*

Sequi-

Sequitur tempus ad aliquam partem Officij diuini, aut alterius Orationis vocalis, quam excipit Consideratio.

CONSIDERATIO.

I. QVanta felicitas, exemptum esse tyrannide insatiabilium desideriorum, quæ sola nos reddunt infelices! desideria desiderijs crescunt, & vno expleto, quatuor, vel plura alia subitò enascuntur. Vnicum est desiderium rebus omnibus pretiosius præstantiúsque, scilicet, nihil aliud velle, neque desiderare, quàm facere Dei voluntatem.

II. Placeat hominibus, quisquis volet, ego nolo alteri placere quàm Deo, cùm certus sim, me eius famulitio indignum, si cupiam placere creaturis. Maiorem mihi arrogare gratiam non possum, quàm Paulus qui dicebat: *Si hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Quid præstat, an Christo placere, an homini? quisque pro se iudicet, ego, quid mihi agendum sit, noui.

III. Tota vita mundanorum nihil aliud est, quàm quædam compositio

vultûs affectata: nunquam risum & lætitiam magis simulant, quàm quando cor lacrymis diffluit. Forment effigantque, quantum voluerint, nunquam peruenient ad lætitiam eius animæ, quæ nihil præter Deum quærit, quæ rectà in illum tendit, quæque aliud non vult, quàm obsequi eius diuinis voluntatibus.

IV. Nescio, quo spectet eorum gloriosorum ambitio, qui cuperent esse eximij, & à nemine dependere; facessat haec insania: si mihi optio daretur, vt vel à me vno dependerem, vel in omnibus, & per omnia à Deo, facilè deligerem: gloriosum mihi foret ab eo dependere, & infelicissimum, si meæ voluntatis dominus & arbiter esse permitterer: cessit mihi istud semper pessimè. Volo, & placet, vt Deus sit vnicus mei rerùmque mearum moderator.

V. Accidat quidquid euenire potest, pestilentia, bellum, fames, infamia, vituperium, calumnia, iactura bonorum, valetudinis, vitæ: plus oculis meis ista diligam, quòd illic reperiam diuinam

volun-

voluntatem; inopiam oſcularer, ſi me adiret, amplecterer ambabus vlnis omnes Cruces vniuerſi, ſi eas Deus imponere dignaretur; poſtquam didici, nihil citra diuinam voluntatem, in tota rerum natura, accidere, quamquam caro obluctetur, moleſtéque ferat, animo tamen læto alacrique excipio omnia, & complector.

VI. Sumne maior Dominus quàm Chriſtus IESVS? ſumne dignior Princeps quàm Seraphini? ſumne Monarcha excelſior, quàm omnes ij Reges Regni cælorum? at hi omnes non alio nomine magni, digni, excelſique ſunt, quàm ob magnam ſubmiſſionem, qua ſe omnibus Dei voluntatibus ſubiecerunt. Dixere: Tua voluntas fiat, ô Deus! hac ſemper vſi, in hac omne ſtudium ſuum, omnemque gloriam collocarunt. Quæ iſthæc foret impudentia, vt aliter facere velit terræ vermiculus, & ex æquo cum diuina, ſuaque voluntate paciſci! nihil ſapientiùs, quàm ſapientes imitari.

Hora relaxandi animum, deinde Officij diuini, aut aliarum Precum vocalium, Visitationis Venerabilis Sacramenti, tum præparationis ad sequentem Meditationem.

III. MEDITATIO.

De exemplis Sanctorum in hac Conformitate.

Oratio præparatoria solita.

PRælud. I. Propone tibi animas nonnullas ad tantam gloriam euectas, vt inter Seraphinos consideant, easque interroga, qua ratione illum gloriæ gradum sint consecutæ. Respondebunt: conformando voluntatem nostram cũ diuina: quemadmodum aliquæ responderunt aliquando B. Stephanæ de Soncino, in quadam illi facta reuelatione.

II. *Prælud.* Pete gratiam, vt sanctorum exemplo stimuleris ad nihil volendum, nisi quod vult Deus.

I. *Punctum.* Considera primò, optimi Isaaci Resignationem, qui etsi præuide-

uideret paterni animi decretum, possetque fugâ sese eripere, vti iam perfectæ ætate & viginti quinque annorum vir, acquieuit tamen omnibus modis, & flexis genibus Parentis gladio caput subiecit. Secundò Dauidis, dicentis Deo: *Vt iumentum factus sum apud te*, quæ est aptissima similitudo ad veram indifferentiam significandam. Iumentum enim obsequio promptum est, nulla habita temporis, aut loci, aut vectoris, aut oneris ratione. Tertiò IESV Christi, cui nihil intererat, seu in Nazareth fabri officio & colligendis lignorum sarmentis exerceretur, seu Concionibus per Iudæam habendis, patrandisque miraculis insudaret. O insignem superbiam meam! qui semper id volo, quod honorificum est, quasi aliquid dignius nobiliusque sit eo, quod est secundum Dei voluntatem!

II. *Punctum.* Attende primò ad Resignationem alicuius Angeli, cui cura miserrimi homuncionis commissa est: sit improbus, sit deformis, sit monstrum

hominis: eum curat Angelus per totos quadraginta, quinquaginta & plures annos, eâ promptitudine & voluptate, atque si foret sanctus quispiam, aut aliquis ex terræ moderatoribus. Secundò ad illam excellentis istius serui Dei, qui dicebat; malle se ex Dei voluntate, vt vermiculum, repere per terram, quàm ex sua, inter Seraphinos considere. Ad illam S. Gertrudis, de qua Dei filius aliquando Mechtildi reuelauit, illam adeò promptè solitam consentire omni nutui diuinæ voluntatis, vt magis membra cum corde non conspirarent. Quid ad hæc cor meum! nonne istæ lectiones sunt, quibus omne meritò studium operamque impendas?

III. *Punctum*. Expende primò Conformitatem, quam habuit cum diuina voluntate Catharina Genuensis, exclamare solita: volo quidquid Deus vult, & serio animi decreto optarem, vt pars illa mei, quæ Deo vel in minimis contradiceret, in puluerem redacta ventis traderetur, aut annihilaretur potiùs. Secun-

cundò illam huius Religiosi, de quo meminit Cæsarius, dicentis, quòd si Deus condemnare illum vellet, nihil se refragaturum, imò ne impediturum quidem, etsi id posset vnica Oratione Dominica recitata: Id dumtaxat postulaturum, vt nullam tota æternitate cogitationem contrariam diuinis dispositionibus admitteret. Tertiò. Et hanc viri illius Deo deuoti, qui, teste Salmerone, loco precationum decursis Alphabeti litteris, Deum rogabat, vt cùm sciret omnem illarum litterarum collectionem combinationemque; id ex ijs colligeret, quod foret ad ipsius arbitrium & voluntatem; nihil aliud se velle, quàm quod esset illi consentaneum. O Deus consentientium amator voluntatum! cur non in mentem mihi veniunt similes sententiæ, & inuentiones, quibus approbem in omnibus, & per omnia, diuinæ voluntatis tuæ dispositiones?

Colloquium ad sanctos, vt tibi donum huius sanctæ Conformitatis obtineant. Pater, Aue.

Recollectio. Lectio Thomæ de Kempis. Rosarium. Visitatio Venerabilis Sacramenti. Cœna. Recreatio. Litaniæ Sanctorum. Visitatio Venerabilis Sacramenti. Præparatio Meditationis crastinæ. Examen. Quies, sed prius triplici genuum flexione honora imaginem B. Virginis, quæ in cubiculo tuo exposita est. Cultus ille magis tibi proderit, quàm existimas; delectatur eo Deipara, & mirum in modum compensat.

Vbi est absconditus Pulcher, quem desidero? Aug. X



DECIMVS DIES.

De Amore erga Venerabile Sacramentum.

PRoximè ad metam consistis, Hagiophila & in tertio die Viæ vnitiuæ. Et quamuis non ignorem, Orationem, Exercitium Præsentiæ Dei, & deuotionem erga Virginem Matrem, esse media efficacissima ad nos Deo vniendos; quia tamen omnia, spatio octo vel decem dierum tractari non possunt, & certissimum sit, nulla re facilius hanc internam cum Deo communicationem, & quam prosequimur in hac vita, vnionem cum summo nostro bono acquiri, quàm consideratione, Amore & frequentatione diuinæ Eucharistiæ, quæ merito nomine Communio, tanquam vnio hominis cum Deo appellatur, hodiernum diem illi concedemus; fructus, quem inde hauries, clariùs patefaciet rationem instituti mei.

Visitatio Venerab. Eucharistiæ. Et præparatio ad meditandum.

I. MEDITATIO.

De Amore, quem Deus in Venerabili Sacramento nobis testatur.

Oratio præparatoria consueta.

PRælud. I. Repræsentabo mihi visionem illam, S. Catharinæ Senensi perquàm familiarem. Intuens sacram Hostiam in manibus Sacerdotis, videre sibi videbatur fornacem ardentem, ad inflammandos omnes illos, qui propius accessissent, idoneam.

II. *Prælud.* Vtinam accendar hoc igne amoris, qui est in diuinissimo Sacramento! quandoquidem illic Deus se collocauerit, vt eum amarem.

I. *Punctum.* Quantum fieri potest, Amicus Amico præsens esse desiderat, idque vnum est Amicitiæ argumentum. Omnia Deus excogitauit, egitque, vt suum erga homines Amorem testaretur; cumulauit illos beneficijs, contulit naturam vitæ, sensûs, rationis participem, illam ipse suis manibus ad imaginem & similitudinem suam efformauit: dedit

dedit illis cor procliue propensumque ad Amorem, addidit præterea seuerissimum mandatum, vt toto illum corde diligerent: & vt nihil omitteret (ne obijci ab hominibus posset, rem esse arduam, illum amare, qui sub aspectum non caderet) oculis nostris & sensibus visibilem palpabilemque se præbuit sua Incarnatione: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, vt*, Teste, Augustino, *Familiarius diligeretur ab homine*, & quia hoc tantùm erat ad triginta tres años, vt se futuris quoq; sæculis præsentem sisteret, abdidit se sub speciebus panis & vini, vt indicaret se eos amare, quibuscum esse continuò volebat; idque modo tam admirabili, vt non sit in vno dumtaxat Orbis loco, vti dum viueret, sed in omnibus regionibus, quacumque terra hominibus culta se porrigit, vt præsentiam suam omnibus indulgeat; illudque beneficium vsque ad mundi interitum prorogabit. O Deus hominum amantissime! quis te vicissim non amet! meritò te Filium homi-

nis

nis indigitabas, cum tanto in hominem amore rapereris. Qua in re animum meum, & ingenium occupo, si non excogito modos, quibus testificer me diligere te, nihilque mihi esse æquè in votis, quàm vt semper sim tecum?

II. *Punctum.* Amico non sufficit præsentia, sed quoad fieri potest, coniungi vnirique desiderat. Vbi vera amicitia est, ibi vnum cor, vna voluntas, vna res est. IESVS in hac vnione excessit omnes amantes, vt sciremus, quanto nos diligeret affectu. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* En vnionem, cui par esse alia non potest; maior est, inquit Cyrillus, quàm si duæ ceræ liquefactæ in vnam commisceantur. Hac vnione vitam Dei viuimus. *Qui enim manducat me, & ipse viuet propter me.* Ita vt susceptum Christi corpus idem in animabus nostris operetur, quod in corpore cibus alius in stomachum demissus: hinc nobis vitam gratiæ conseruat. *Ego sum panis vitæ, qui de cælo descendi.* Quis

vn-

vnquam aliàs audijt similem vnionem? tales amores? nunquam Amicus substantiam suam, seu totum se dedit, vt nutriret sustentaretque Amicum. O eximie in Amore! nunquam te tantùm amabo, quantùm amare te vellem. Vellem si fieri posset, me tibi ita vniri, vt in permistione huius tam amabilis vnionis, me ipse perderem, neque ampliùs essem nisi in te!

III. *Punctum.* Tandem Amicus dat omnia sua & cum Amico facit communia. Facit id IESVS in Sacramento, tam mirabili, quàm amabili profusione. Dat nobis corpus, animam, vitam, sanguinem, quo nihil in rerum natura præstantius est, cùm sit pretij inæstimabilis. Dat diuinitatem suam, veniens cum Patre & Spiritu Sancto; participes nos facit suæ gratiæ, & virtutum nobis necessarium, iuxta dispositionem, qua ad hoc Sacramentum accedimus. Venit etiam instructus suis perfectionibus: nam Amor illius, illius Clementia, Patientia, Humilitas, Omnipotentia mi-

rum

rum in modum se produnt in hâc diuinissima Eucharistia. Maiorine Amore communicare se quis potest? O DEVS liberalitatis infinitæ! desidero te amare plusquàm vlla vnquam Creatura te amauit: imò Amore infinito opus foret, vt Amorem rependerem Amori.

Colloquium ad tres Personas SS. Trinitatis de tanto collato beneficio. Admirando, Obstupescendo, Amando. Pater, Aue.

Recollectio Meditationis, Electio Tesseræ, apta erit hæc ex D. Augustino: *Vbi est absconditus pulcher, quem desidero?* aut illa sancti Bernardi: *Valde auarus est, cui Deus non sufficit.*

Lege partem Officij, aut alterius Orationis vocalis. Audi sacrum, deinde vaca lectioni spirituali.

DISSERTATIO MATVTINA.

De Communione.

PRomisi tibi, Hagiophila aliquem de Communione sermonem, & opinio mihi pridem infixa, quòd origo nostrarum imperfectionum, & fructûs exigui,

quem

quem in vita ſpirituali colligimus, æquè à Communionibus tepidè, & ex conſuetudine ſuſceptis, atque à malè inſtitutis Confeſſionibus oriatur, facit, vt in re tanti momenti & quàm maximè velim tibi impreſſam, ſtem promiſſo, dictique mei fidem exequar. *a* Sumo exordium à facto memorabili, quod Ciui Ferrarienſi accidit: traduxerat ille adoleſcentiam in magnis difficultatibus pudicitiæ ſuæ, imò ad probroſos lapſus, atque inordinatam viuendi licentiam deuenerat; nihilominus deſiderium ſalutis magnos in anima ſtimulos, & metum damnationis æternæ excitabat; vnde conſilij gratia adijt Confeſſarium ſuum, petijtque, qua tandem ratione poſſet ab hac miſeria, & iſtis peſſimæ conſuetudinis occaſionibus emergere: Viam, inquit Sacerdos, compendioſiorem non video, quàm vt vxorem ducas, duc & modò illa non abutaris, in ſaluo es. Obtemperauit conſilio, vxorem duxit, & conſcientiæ pace fruitus eſt, Verùm, quia Matrimonia æterna non

a In ſtimulo virtut.

ſunt, intra annos aliquot vxor fatis concessit; & en veteres rediere moleſtiæ, eademque, vt olim, carnis pugna; itur ergo in antiquam ſiluam, & nouæ infameſque libidines magis, quàm antehac, animum ipſius lancinabant. Quare iterum ſtatuit virum Religioſum conſulere, vt animæ remedium inueniret; rationem præteritorum illi reddit, & exiguo ſe teneri deſiderio nouæ ducendæ vxoris, ne in malam incideret, & ne iiſdem rurſus periculis exponeretur, quæ iacturam ſalutis adferrent. Optimâ fortunâ Pater hic, aliud omninò à priori, medium ſuggeſſit: Domine mi, inquit, ſi aliquid tribuis fidei meæ, frequenta ſacram ſynaxim, ſæpiùs ad hanc menſam accede, octauo quoque die ſume hunc panem Angelorum, & intra pauculas ſeptimanas ab hiſce tentationibus liberaberis, nullaque inter virtutes omnes tibi charior erit, caſtitate. Acceptiſſimum illi fuit iſtud conſilium, eóque vſus per aliquod temporis interuallum, ita ſe leuatum ſen-

ſenſit ab eo Amoris appetitu, omnibuſque carnis rebellionibus, vt in nouo quodam ſolatiorum orbe viuere ſibi videretur, diceretque identidem: heu! cur vnquam vxorem duxi! ah cur in primis meis difficultatibus homo non occurrit, qui mihi frequentationem Sacramentorum ſuaderet! non perijſſem, nunquam matrimonio me copulaſſem, & per cupiditatum mearum moderationem reddidiſſem me parem Angelis. Vtinam reperiſſem tum temporis Confeſſarium, qui talem ægro mihi medicinam propinaſſet! viuerem nunc hominum fortunatiſſimus; non tamen omninò miſer ſum, quandoquidem poſt tot toleratas miſerias iam caſtum me, & ex animi voto, continentem experior.

Ab hac hiſtoria tranſeamus ad inſolitum ſtuporem, quo ſæpe defigor. Veriſſimum eſt, & hac proximâ experientia luculenter comprobatum. idcircò mundanos homines diu in ſordibus ſcelerum ſuorum volutari, ſemperque

que in peius ruere, quòd Sacramentorum & maxime Eucharistiæ frequenti vsu abstineant: a *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Panis est vitæ (*Ego sum panis vitæ*) animam nutriens & vitam gratiæ conseruans, & corroborans aduersus tentationes. Reipsa experimur, etiam scelerastissimos, aliquot diebus, post huius sacratissimi cibi sumptionem, à peccatis se continere, non aliunde quàm ab efficacia huius Sacramenti recens vsurpati, quod animos illorum aduersus hostiles impetus obfirmat. Extra dubium est, quin maxima hominum pars defectu frequentis Communionis, in ditionem peccati dæmonisque redigatur. At vnde euenit (atque id me tenet attonitum) quòd plures & in sæculo & in domibus Religiosis, qui diuina hac esca sæpissime fruuntur, tam parum in virtute promoueant, post centenas & sexcentas Communiones, æquè ac antè superbi, æquè maledici, ambitiosi, vani, impatientes, æquè sen-

a *Ps.* 101. *Ioan.* 6.